EMMANVELIS
ALVARI,
E SOCIETATE IESV,
DE INSTRVCTIONE GRAMMATICA,
LIBER SECVNDVS:
Sivè
DE OCTO PARTIVM ORA-tionis Conſtructione.
SCHOLIIS AVCTORIS prætermiſſis.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
in Officina Birckmannica.

Anno M. DC. LXXXXVIII.

Google

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS PROFESSORI SYNTAXEOS.

QUod vides in hac Syntaxi characterum diverſitate ſecerni appendices, ejus rei hæc eſt ratio. Tres ſunt claſſes, quibus puerilis ætas Syntaxeos præcepta paulatim imbibit. In tertia, quæ infima, pueri (perceptis priùs quatuordecim regulis, quæ rudimentis adhærent) generales omnes regulas Syntaxeos ſine figurata conſtructione & appendicibus addiſcunt. In ſecunda Regulas omnes cum Appendicibus primi & ſecundi generis, exceptâ conſtructione figuratâ. Prima relinquuntur. præter conſtructionem figuratam, Appendices tertii generis, quas charectere diverſo vides excuſas. Hæc difficilliorum à facilioribus ſecretione rudia puerorum ingenia mirum temporis & laboris faciunt compendium. Vale & fave

DE OCTO PARTIVM ORATIONIS CONSTRUCTIONE.

LIBER SECUNDUS.

QVID SIT SYNTAXIS, ET IN quot partes diſtribuatur.

SYntaxis Græcè, Latini conſtructio, eſt recta partium orationis inter ſe cõpoſitio. Porrò recta compoſitio ea cenſenda eſt, qua uſi ſunt Auctores, qui purè & emẽdatè ſcripſerunt. Hæc duplex eſt, altera Tranſitiva, cum Partes nimirũ orationis in cauſam
l. 2. diſſimilem præcedenti tranſeunt. Cicero ad Atticum: *Pompejus amat nos, charoſque habet.* Alteraintranſitiva, cùm partes aut nullum poſt
l. 3. ſe caſum habent. Idem ad Q. Fr. *Valent pueri, ſtudiosè diſcunt, diligenter docentur*: aut certè
Phil. 3. non diverſum ab eo qui anteceſſit. Idem: *Pax eſt tranquilla libertas.* Utraque in juſtam, & Figuratam dividitur: Illa omnibus ſuis nume-
l. 1. ris perfecta atque expleta eſt. Idem Lentulo: *Ego omni officio, ac potius pietate erga te cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſi nunquam ſatisfacio.* In hac ut plena ſit, nonnihil deſideratur: Idem
l. 15. ad Att. *Ego, ſi Tyro ad me, cogito in Tuſculanum*: quæ omnibus ſuis numeris abſoluta erit, ſi duo verba addas hoc modo: *Ego, ſi Tyro ad me venerit, cogito in Tuſculanũ proficiſci.* Aut mũtatur aliquid, ut juſta efficiatur. Idem ad eundem.

Quàm

Quàm turpis eſt aſſentatio, quum vivere ipſum turpe ſit nobis. Si vita ipſa dixiſſet, juſta erat. De Figurata copioſiùs poſtremo loco dicendum eſt. Nunc à Juſta, eaque intranſitiva, quod facilior, expeditiorque ſit, initium faciemus.

DE CONSTRUCTIONE Intranſitiva.

VErbum Perſonale, finiti modi, antecedit Nominativus apertè vel occultè, ejuſdem numeri & perſonæ.

Cic. *Si vales, bene eſt, ego quidem valeo.* Ter. in *l.* 14.
Eunuch. *Quis hic loquitur?* Idem ibidem: *Quid ſtamus, cur non imus hinc?*

APPENDICES Primi generis.

I.

Voces copulatæ ſæpè verbum plurale deſiderant.

Cic. ad At. *Hic nobiſcum ſunt Nicias & Valerius.*

Interdum ſingulari contentæ ſunt.

Idem de Seneƈt. *Mens & ratio, & conſilium in* *l.* 12.
ſenibus eſt.

Nonnunquam omittitur conjunƈtio.

Idem ad Q. Fr. *Frons, oculi, vultus, perſæpè* *l.* 1.
mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè.

II.

Verbum plurale nobiliorem perſonam ſequitur. Prima nobilior eſt quàm ſecunda & tertia, ſecunda tertiæ anteponitur.

Digitized by Google

l. 14. Cic. ad Terent. *Si tu & Tullia lux noſtra valetis: ego & ſuaviſſimus Cicero valemus.*

APPENDICES
Secundi generis.
I.

Prima & ſecunda perſona ferè non explicãtur: niſi cum diverſa ſtudia ſignificamus.

lib. 4. Author ad Heren. *Ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi ſine periculo eſſe nõ curatis?*

Aut cùm plus ſignificamus quàm dicimus.

Ibid. Idem. *Tu iſtud auſus es dicere?* Cic. in Verrem.

Act. 5. *Tu innocentior, quam Metellus?* Tu, plus ſignificat, quàm verbum ipſum per ſe declarat.

II.

Verbum infinitum interdum partes nominativi agit.

l. 7. Cic. in Oratore. *Oportere perfectionem declarat officii.*

lib *Ep. ad Brut.* Terent. in Heautont. *Non eſt mentiri meum.*

Idem verbum cum ſuo caſu.

Cic. in Marium. *Vacare culpa magnum eſt ſolatium.*

Brutus ad Atticum. *Dolet mihi quod tu non ſtomacharis.*

APPENDICES
Tertii generis.
I.

Verba apparet, fallit, fugit, prætetit, latet, interdum loco nominativi membrum orationis habent.

L. 11. Cic. ad Att. *Apparebat illas litteras non illius eſſe.*

l. 7. Idem. *De Dionyſio fugit me ad te antea ſcribere.*

II.

II.

Idem accidit nonnunquam verbis paſſivis.

Cic. *Tarquinium dixiſſe fertur, tum cùm exul eſſet, ſe intellexiſſe quos fidos amicos habuiſſet, quoſque infidos.* De amic.

Plin. *Qualem fuiſſe traditur Q. Sertorii cervam.* l. 8. c. 32.

Idem verbo *videtur* uſuvenit: modo aperte.

Cic. *Non mihi videtur ad beatè vivendum ſatis poſſe virtutem* 5. Tuſc.

Modò obſcurè.

Cic. ad Att. *Quod Lentulum inviſis valdè gratum, pueros attribues ei, quot & quos videbitur.* l. 12.

III.

Poëtæ verbo plurali interdum utuntur, intercedente præpoſitione *Cum.*

Virg. *Remo cum fratre Quirinus*
Iura dabant. Æneid. 1.

Oratores ſingulari.

Cic. ad Att. *Tu ipſe cum Sexto ſcire velim quid cogites.* l. 1.

IV.

Poëtæ etiam intercedente præpoſitione *Cum*, verbum multitudinis præſtantiori perſonæ reddunt.

Virg. --- *divellimur inde,*
Iphitus & Pelias mecum Æneid. 2

Oratores verò verbum nominativo reddunt, nullâ habitâ ratione ablativi.

Cic. *Atque utinam jam antèvidiſſes, nec totum animum mœrori mecum ipſe dediſſes.* ad Att. l. 5.

Quod idem & Poëtæ faciunt.

Horat. *In quid ego & populus mecum deſideret audi.* In arte Poet.

Utuntur interdum numero ſingulari pro plurali, ſed rarius.

Cic. *Vos, vos inquam ipſi & Senatus frequens reſtitit.* Pro Rab.

Idem *Cum univerſi vos, populuſque frequens adventu meo gratulatus eſt.* Pro Sal.

VERBUM INFINITUM.

Verbum perſonale infiniti modi poſtulat ante ſe accuſandi caſum.

l. 15. Cic. ad Att. *Hunc quidem nimbum citò tranſiiſſe lætor.* Terent. Adelph. *Salvum te advenire gaudemus.*

DE ADJECTIVIS
& Subſtantivis.

Nomina Adjectiva, Pronomina & Participia cohærent cum ſuis Subſtantivis genere, numero, & caſu.

Act. 6. Cic. in Verr. *Erat hyems ſumma, tempeſtas perfrigida, imber maximus.* Terent. in Eunuch. *Ille bonus vir nuſquam apparet.*

lib. 6. Curtius. *Parva ſæpè ſcintilla contempta magnum excitavit incendium.*

APPENDICES
Primi generis.

I.

Subſtantiva conjuncta ferè adjectivum multitudinis requirunt.

Bel. pun. 4. Liv. *Hippocrates & Epicides nati Carthagine, oriundi ab Syracuſis.*

Quod ſi adjectivum ſingularis ſit numeri, cum viciniore Subſtantivo genere & caſu conſentiet. Q. Cic. de petit. conſolat. *Multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum ſuperbia multorum odia ac moleſtia perferenda eſt.* Terent. in Eunuch. *Viden, otium & cibus quid faciant alienus.*

Adjectivũ plurale præſtantius genus ſibi vendicat. Virile præſtantius eſt muliebri & neutro.

Ter.

Ter. in And. *Domus, uxor, liberi inventi invito* *Bel.Ma-*
patre. Liv. *Decem ingenui, decem virgines, patri-* *7.*
mi, omnes, matrimiq; adhibiti. Idem *Conſilia, po-* *ab urb.*
puli, exercitus vocati. Virg. *Caſoſq; reportant Al-* *Ænei.*
monem puerum fœdatique ora Galeſi. *7.*

Neutrum muliebri præfertur, præcipuè cũ de rebus inanimatis ſermo eſt.

Saluſt. *His genus, ætas, eloquẽtia ferè paria fuère.* *In Cat.*
Idem. *Divitiæ, decus, gloria, in oculis ſita ſunt.* *Ibidem.*

II.

CumSubſtantivis rerum inanimatarum plerumque jungitur neutrum multitudinis.

Livius. *Ira, & avaritia imperio potentiora erant.* *Bel.Ma.*
Idem. *Formiis portam, murumque de cœlo tacta* *B. Ma.5*
nuntiatum eſt. Idem. *Jam ludi, Latinaque inſtau-* *ac urb. 1.*
rata erant.

APPENDICES
Tertii generis.

I.

Participia factus, creditus, dictus, dicendus, viſus, appellatus, & cætera ejuſdem generis, ſi inter duo ſubſtantiva ponantur, non continuò cum præcedente conſentient. Quis eum audeat ſic loqui:

Antonius Reip. peſtis à Cicerone appellata eſt.

Nec idem ſi poſt utrumque collocentur, cum alterutro conſentire poterunt. Habenda eſt enim ratio non collocationis verborum, ſed ipſarum rerum. Itaque cohæret adjectivum cum eo nomine, quod eſt præcipuũ, ſive baſis & fundamentum orationis.

Plin. *Puteoli, Colonia, Decearchia dicti.* Ibidem, *Oppidum Poſtum Græcis Poſidonia appellatum.*

 Figu-

Figurata conſtructio eſt, cùm probati Auctores aliter locuti ſunt.

2. de Div. Cic. *Non omnis error ſtultitia dicenda eſt.* Terent. *Nunquam aequè ac modo paupertas mihi onus viſum eſt, & miſerum & grave.*

III.

Poëtae Subſtantivis praepoſitione *Cum* copulatis plurale adjungunt ſuo jure.

2. Meta. Ovid. *Sors eadem Iſmarios Hebrum cum Strymone ſiccat.*

5. Faſt. Ovid. *Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.*

IV.

Adjectivum foemininum interdum reſpondet viciniori Subſtantivo pluralis numeri.

Bel. Ma. 7. Liv. *Hoc S. C. literaeque Sp. Poſthumio praetori in Hetruriam miſſa ſunt.*

Si de rebus inanimis agitur, tutius fuerit circuitione uti, hoc modo.

Lucretia caſtiſſima fuit, qua virtute etiam ejus mancipium floruit, potius quam, *Lucretia & ejus mancipium ſunt caſta.*

RELATIVA

Relativum, *Qui, quae, quod*, concordat cum antecedente in genere & numero.

l. 16. Cic. ad Tir. *Nemo nos amat, qui te non diligat.*

l. 14. Idem ad Terent. *Accepi ab Ariſtocrito tres epi-*

l. 3. *ſtolas, quas lachrymis prope delevi.* Idem ad Att. *O te ferreum, qui illius periculis non moveris.*

Item pronomina: Hic, iſte, ille, ipſe, is & idem, cùm fiunt relativa.

Item ad Att. *Eunti mihi Antiū venit obviam tuus puer, is mihi literas abs te & commentarium conſulatus mihi Graecè ſcriptum addidit.*

APPEN-

APPENDIX

Primi generis.

I.

Relativum Qui, Quæ, Quod, cùm antecedenti præponitur, cum eodem genere, & numero, & caſu perquam venuſtè cohæret.

Cic. pro Syl. *Quæ prima innocentiæ mihi defenſio eſt oblata ſuſcepi.* Idem ad Att. *Quos cum majori pueros & Trebatio miſeras, epiſtolam mihi attulerunt.* Idem in 1. Tuſculan. *Quam quiſque artem nôrit, in hac ſe exerceat.* Idem ad Att. *Quibus de rebus ad me ſcripſiſti, quoniam ipſe venio, coram videbimus.* l. 9. l. 2.

Quod ſi inter duo Subſtantiva ponatur, cum alterutro conſentire poterit, etiamſi alterum proprium ſit.

Sall. *Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* Curtius. *Darius ad eum locum, quem Amanicas pylas vocant, provenit.* In Catil. l. 3.

II.

Quantus, Qualis, & cætera id genus nomina cùm relativa fiunt, non cum antecedente, ſed cum conſequente Subſtantivo genere, numero, & caſu conſentiunt.

Cic. ad Caſſ. *Dixi de te, quæ potui, tanta contentione, quantum forum eſt.* Idem in Bruto: *Utinam in Tiberio Graccho, Cajoque Carbone talis mens ad rempublicam bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit.* l. 11.

APPEN-

APPENDICES
Secundi generis.

Nominativus poſt verbum: Adjectivum & Subſtantivum: Relativum & antecedens interdum, maximè apud Hiſtoricos & Poëtas, ſenſu & ſignificatione conſentiunt, quamvis voce diſcrepent.

Æneï. 5. Virg. *Pars in fruſta ſecant, verubuſque trementia figunt*, *B. M. 7.* Liv. *Pars in juviniles luſus verſi, pars veſcentes ſub umbra, quidam ſomno etiam ſtrati.* Ter. in Ant. *Ubi illic eſt ſcelus, qui me perdidit.*

II.

Orationis membrum interim vice Antecedentis ponitur, idque in neutro genere.

l. 2. pro Cor. Cic. ad Att. *Pompejus quod mihi ſummo dolori eſt, ipſe ſe afflixit.* Idem. *Unum objicitur, natum eſſe Gadibus, quod nemo negat.*

APPENDIX
Tertij generis.

I.

Si plura antecedant ſubſtantiva conjunctionibus ligata, idem obſervandum eſt in relativis, quod paulò ante in adjectivis.

In offic. Cic. *Propter ſummam & doctoris auctoritatem & urbis, quorum alter de ſcientia augere poteſt, alter exemplis.*

Interdum redditur relativum viciniori ſubſtantivo.

In Piſone Cic. *Mihi non venit in mentem furorem, & inſaniam optare vobis, in quam incidiſtis.*

Cæſar maſculino & fœminino rerum animatarum relativum neutrum reddidit.

1. Bell. Gall. *Leporem & gallinam, & anſerem guſtare fas non putant, hæc tamen alunt animi, voluptatiſque cauſâ.*

SUBSTANTIVA
continuata,

Subſtantiva continuata, quæ ad eandem rem ſpectant, caſu concordant, quamvis genere & numero aliquando diſſentiant.

Marcus Tullius Cicero Publio Lentulo Proconſuli ſalutem plurimam dicit. Cæſar *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen dividit.* Plin. ad Caniniũ. *Quid agit Comum tuæ, meæque dilicia?* l. 1. Bel. Gall. l. 1.

APPENDICES
Tertii generis.

I.

Interdum alterum ſubſtantivum genitivi eſt caſus, Cic. ad Att. *Caſſius in oppido Antiochiæ cum omni exercitu eſt.* l. 5.

Virg. *Celſum Buthreſi aſcendimus urbem.*

II.

Subſtantiva diverſi generis, aut numeri verbum adjectivum & relativum ſic reddetur.

I. Si alterum proprium ſit hominis, cum eo verbum cæteraque conſentiunt.

Cic. *Deliciæ tuæ noſter Æſopus ejuſmodi fuit, ut ei deſinere per omnes liceret.* l. Ep. 7.

II. Si verò de aliis rebus agatur, ſæpiſſime verbum adjectivum relativumque magis communi reſpondet.

Liv. *De ſolis urbe, quæ in Sicilia eſt, egerunt.* Soli Solorum eſt urbs l. 7. Bel. Ma.

Plin. *Tungri civitas Galliæ fontem habet inſignem.* l. 31. c. 1.

Juſtinus tamen ad proprium reſpexit. l. 9.

Ad cujus, inquit, *emolumentum egregiè pertinere ratus, ſibi Bizantiũ nobilem & maritimam urbẽ receptaculũ terra marique ſuis copiis futurum in poteſtatẽ redigiſſet.*

UTRIM-

UTRIMQUE NOMINANDI Caſus.

Omne verbum perſonale finiti modi, utrinque nominativum habere poteſt, cùm utrumque nomen ad eandem rem pertinet, cujuſmodi maximè eſt Verbum Subſtantivum, Vocativum & alia quamplurima.

l. 2. Terent. in Phorm. *Senectus ipſa eſt morbus.* Cic. de Offic. *De amicitia alio libro dictum eſt, qui inſcribitur Lelius.* Salluſt. *Virtus clara aternaq; habetur.* Cic. ad Att. *Ego vivo miſerrimus.* Idem in M. Antonium. *Defendi rempublicam adoleſcens, non deſeram ſenex.*

Catil. l. 3.
Philip. 2.

APPENDIX Tertii generis.

Verbum Subſtantivum & Vocativum, cum inter duos nominandi caſus diverſi numeri ponitur, conſentire cum eo ſubſtantivo, quod (quod ut ita dicam) ſit verbi baſis & fundamentum.

Ut in hac oratione, *Adoleſcentes modeſti ſunt ornamentum juventutis.*

Verbi baſis & fundamentum eſt, *Adolcentes modeſti,*

Quocunque modo vertas hæc verba.

Plin. *Nota argenti fuère bigæ & quadrigæ.*

Ovid. *Domus antra fuerunt*

Si aliter loquamur, figurata erit conſtructio.

NOMINATIVUS POST Verbum infinitum.

Verbum perſonale infiniti modi poſt ſe Nominativum petit, cùm res ad nominativum præſentis verbi pertinet,

Cic.

Cic. de nat. Deor. *Nolo eſſe longior.* Idem pro Marcel. *Malim videri nimis timidus, quam parum prudens* Terent in Adelph. *Pater eſſe diſce ab iis, qui verè ſciunt.* Ibidem. *Meditor eſſe affabilis.*

APPENDICES
Primi generis.
I.

Si verba Puto, Ajo, Refero, & alia ejuſdem ſignificationis, infinitum præcedant, durior efficitur oratio.

Lucan. *Utque fidem vidit ſceleris tantumque putavit. Iam bonus eſſe ſocer, lachrymas non ſponte cadentes effudit, gemituſque expreſſit pectore læto.* l. 1.
Orator dixiſſet: *Se bonum eſſe ſocerum.*

II.

At ſi accuſativus anteceſſit, ſequatur neceſſe eſt.

Cic. in Catil. *Cupio P. C. me eſſe clementem, cupio in tantis Reip. periculis non eſſe diſſolutum videri.* Orat. 1.
Idem in Bruto: *Ego me Phidiam eſſe mallem, quàm vel optimum fabrum lignarium.*

APPENDIX
Secundi generis.

Infinitum Eſſe, antecedente verbo Licet, dandi vel accuſandi caſum poſt ſe poſtulat Cic. 1. Tuſc. *Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminõdæ.* Id. ad Att. *Mihi negligenti eſſe nõ licet.* Id. pro Flac. *Cur his per te frui libertate, cur deniq; eſſe liberos non liceat?* Idem pro Cornelio l. 1.

Balb.

Balb. *Quod ſi civi Romano licet eſſe Gaditanum, ſive exilio, ſive rejectione hujus civitatis, &c.*

APPENDICES
Tertii generis.

I.

Nonnunquam ſubauditur præcedens accuſativus, aut dativus.

l. 8. Prolog. Curt. *Octoginta talenta conſtituit daturum Alexander,* pro *ſe daturum.*

Cic. *Liceat eſſe miſeros.*

II.

Infinitum Eſſe, cum cæteris verbis, quæ dativo gaudent, ferè accuſativum habet.

Heaut. Terent. *Expedit bonos eſſe nobis.*

Quintilianus tamen dativo uſus eſt.

Oderit reum verba aucupantem, & anxium de fama ingenii & cui eſſe diſerto vacet.

Cùm infinito eſſe accedit verbum dandi, planè videbitur poëtica locutio.

In arte. Horat. ------ *Mediocribus eſſe Poëtis.*
Non homines, non dii, non conceſsère columnæ.

INTERROGATIONIS atque Reſponſionis conſenſus.

Interrogatio & reſponſio caſu conſentiunt. *Cui præceptori dediſti operam? Platoni. Cujus eſt hæc oratio? Ciceronis. Quem exiſtimas fuiſſe principem Oratorum? Demoſthenem. Quo morbo fuiſti impeditus? aſſidua febricula.*

DE CONSTRUCTIONE TRANSITIVA Nominis.

GENITIVUS POST NOMEN Subſtantivum.

QUotieſcumque duo Nomina Subſtantiva rerum diverſarum in oratione continentur, alterum erit genitivi caſus.
Cic. in Piſonem: *Supplicium eſt pœna peccati.* Idem ad Cœlium: *Mirum me deſiderium tenet urbis.* Idem de amicitia. *Maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.* *Ad Att.*

APPENDICES Tertii generis.

Adjectiva cùm ſubſtantivè ponuntur, more Subſtantivorum conſtruuntur.
Cic. de Sen. *Tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.* Idem in Verr. *Sicilia tota ſi una voce loqueretur, hic diceret. Quod auri, argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris fuit, id mihi tu C. Verres eripuiſti atque abſtuliſti.* Pompejus ad Marcell. & Lentulum: *Vos hortor, ut quodcunque militum contrahere poteritis, contrahatis.* *Act. 3.* *Ad Att. lib. 3.*

Abdita rerum; ſtrata viarum, occulta ſaltuum, & id genus alia, ferè apud Poë-

tas & Hiſtoricos reperiuntur.

lib. 18. Tacitus. *Per anguſta, & lubrica viarum flexuum.*

GENITIVUS VEL ABLATIVUS poſt nomen ſubſtantivum.

Subſtantiva cum ad laudem vel vituperationem referuntur, genitivo vel ablativo gaudent. Cic. ad Marcellum: *Neque te monere audeo preſtanti prudentia virum, neque confirmare maximi animi hominem, virumque fortiſſimum.*

lib. 4.

lib. 1. c. 2. Plinius: *Choromandarum gentem vocant Tauron ſilveſtrem ſi voce, ſtridoris horrendi hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.*

GENITIVUS POST NOMEN. Adjectivum.

Adjectiva, quæ ſcientiam, commotionem, copiam, & his contraria ſignificant, cum genitivo junguntur, ut Peritus, Ignarus, Particeps, Expers, plenus, Inanis.

De orat. 2. l. 5. lib. 9. Cic. in Bruto: *Fabius pictor & juris & literarum, & antiquitatis bene peritus fuit.* Idem: *Antonius omnis eruditionis expers atque ignarus fuit.* Idem ad Papyrium: *Stultorum plena ſunt omnia.* Ex eorum I. Orat. *Omnia plena conſiliorum, inania verborum videmus.*

Item quædam in Ax, Ius, Idus & Oſus. *Philoſophus tenax recti, nullius culpæ conſcius, avidus virtutis, ſtudioſus literarum.*

Qui-

Quibus adde memor, immemor, ſecurus. *Ut memor beneficii, immemor injuriæ. ſecurus re morum.* Quintilianus : *Tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus.* Cic. in Marc. Anton. *Hujus rei ne poſteritas quidem omnium ſæculorum immemor erit.* Idem ad C. Anton. *Cùm T. Pomponius homo omnium meorum in te ſtudiorum conſcius, tui cupidus, noſtri amantiſſimus ad te proficiſceretur, aliquid mihi ſcrbendum putavi.* lib. 1. c. 1. Phil. 2. lib. 5.

PARTITIVA.

Partitiva genitivo multitudinis gaudent. Cic. de nat. Deor. *Elephanto belluarum nulla eſt prudentior.* Idem de ſenectute : *Minus habeo vitium, quàm veſtrum utervis.* Idem ad Q. Fr. *Domus utriuſque noſtrum ædificatur ſtrenuet.* lib. 1. lib. 2.

Item numeralia Nomina.

Liv. *Imperium ſummum Romæ habebit, qui primus veſtrûm, ô juvenes, oſculum matri tulerit.* Curt. *Octoginta Macedonum interfuerint.* Idem ibidem. *Nolo ſingulos veſtrûm excitare.* Ab urb. lib. 2.

Denique quæcunque adjectiva partitionem ſignificant, interrogandi caſum poſſunt admittere.

Cic. de ſenect. *Multa etiam iſtarum arborum meâ manu ſata.* Liv. *Macedonum ferè omnibus & quibuſdam Andriorum, ut manerent, perſuaſit.* Curt. *Cùm paucis amicorum ad Leonatum pervenit.* Plin. *Lanarũ nigra nullum colorẽ bibnut :* Bel. Ma. 1. lib. 1. c. 1. l. 8 c. 28

APPENDIX
Tertii generis.

Nonnunquam Subſtantiva, maximè apud Plinium, hanc conſtructionem admittunt.

lib. 10. cap. 6. *Volucrum animal parit veſpertilio tantum.*

Niſi fortè quis dicat ſubaudiendum nomen partitivum *Solus.*

Numeralia frequentiſſimè cum ſuis ſubſtantivis copulantur.

Septimus Rex Romanorum. Duo milites Singuli Duces.

SUPERLATIVA.

Si multa ejuſdem generis comparentur, utendum eſt ſuperlativo cum genitivo plurali.

lib.3.c.1. Cic. Tuſc. *Theophraſtes elegantiſſimus omnium Philoſophorum, & eruditiſſimus, non magnoperè reprehenditur, cùm tria genera dicit bonorum.* Plin. *Demoſthenes ſummus Oratorum Græciæ.*

APPENDICES
Primi generis.

I.

Tam ſuperlativa, quàm partitiva etiam genitivo ſingulari, qui multitudinem ſignificet, conjunguntur.

Cic. pro Quinto. *Habet adverſarium P. Quintius, verbo, Sex. Nevium, revera hujuſce ætatis homines diſertiſſimos, ornatiſſimos noſtræ civitatis.* Idem pro C. Rabirio Poſthumo, *virum unum totius Græciæ facilè diſertiſſimum Platonem in maximis periculis, inſidiiſque verſatum eſſe acce-*

cepimus: An quiſquam Clodiæ gentis cùm Pompeio Magno conferendus.

II.

Tum ſuperlativa nomina, tùm etiam partitiva, quæ cum ſuis ſubſtantivis caſu cohærent, & genere, & numero conſentiunt.

Cic. de nat. Deor. *Indus qui eſt omnium fluminum maximus, non aquâ ſolùm agros lætificat, ſed eos etiam conſerit* Plin. *Hordeum frugum omnium nobiliſſimum eſt.* Pomp. Meda. *Famam habet ob Cereris templum Enna præcipua montium.* lib. 2. l. 10. c. 4.

Quòd ſi nullum ſit ſubſtantivum, cum genitivo, quod attinet ad genus, conſentient. Livius: *Summi infimique Gabinorum, Sex. Tarquinium dono Deum ſibi miſſum credere.* Quintilianus: *Equidem Ciceronem ſequar, nam is eminentiſſimos Græcorum eſt ſequutus.* Plin. *Sapientiſſima animalium eſſe conſtat, quæ fruge veſcantur.* Idem. *Ovorum alia ſunt candida, ut columbis, perdicibus: alia pallida, ut aquaticis, &c.* ab urb. 1. lib. 9. c. 4 lib. 12. cap. 25. lib. 19. c. 25.

APPENDICES
Secundi generis.

Genitivus tam ſuperlativi, quàm partitivi, in ablativum cum præpoſitione E, vel Ex, vel De mutari poteſt.

Cic. pro Cluentio: *Ex his omnibus natu minimi P. Saturninus in eadem ſententia fuit.* Idem

lib. 10. pro Sex. Roſc. *Audaciſſimus ego ex omnibus? minime.* Idem ad Tironem: *De tua innumerabilibus in me officiis erit hoc gratiſſimum.* Idem in Marc. Anton. *Permitto ut de tribus Antoniis eligas, quem velis.* Quint. *Timui, ne quem ex meis viderem.*

Phil. 10.

Decl. 8.

Mutatur interdum genitivus ſuperlativi in accuſativum cum præpoſitione inter vel ante. Cic. pro Sex. Roſc. *Rectum putabat pro eorum ſe honeſtate pugnare, propter quos ille honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur.* Seneca: *ille Crœſus inter Reges opulentiſſimus ad tormenta poſt terga vinctis manibus ductus eſt.* Pomponius Mela. *Gentem ſui nominis alnit Boriſthenes inter Scythiæ amnes amœniſſimus.* Livius: *Multitudini gratior fuit, quam paribus, longè ante alios acceptiſſimus militum animis.*

lib. 2. conſ.

lib. 2. c. 1.

Ab urb. 1.

II.

Superlativa præter proprium caſum admittunt etiam caſum ſuæ poſitionis.

Cic. de claris Orat. *Fuit ſextus Ælius, Juris quidem civilis omnium peritiſſimus.* Omnium ſuperlativi, Juris civilis, poſitivi caſus eſt.

Admittunt & genitivum partionis, more nominum unde formantur.

lib. 2. c. 51. Plinius: *Plurimi piſcium tribus menſibus Aprili, Majo, Iunio pariunt.*

APPENDICES
Tertij generis.

I.

Superlativo interim utimur, cum referuntur re diverſi generis maximè accedente adverbio. Non ſolùm. Cic. *Hoc tu ſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro omnium non bipedum ſolum, ſed quadrupedum impuriſſimo Rempub. perdidiſti.* Plin. *His tamen qui legati ad externas gentes ituri eſſent, annuli publici dabantur, credo quoniam ita exterorum honoratiſſimi intelligebantur.* Pro Dō. l. 33. c. 1.

I I.

Si genitivus ſit nominis collectivi, non neceſſariò cum eo conſentient ſuperlativa aut partitiva.
Summi, infimique civitatis Tarquinium exciperunt.
Item ſi Superlativa ſubſtantivè ponantur.
Cic. *Cum omnium rerum mors ſit extremum.*

GENITIVUS VEL DATIVUS post Nomen.

Nomina quæ ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem ſignificant, interrogandi, vel dandi caſum exigunt.
Terrent. in Eunuch. *Domini ſimilis, &c.* de Fin. *Non video cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius.* lib. 12. Idem. M. Ant. *Antonius ſaturavit ſe ſanguine diſſimillimorum ſui civium.* Philip. Idem de clar. Orat. *Nihil tam diſſimile, quàm Gottæ Sulpitio.*
Cic. de ſenectute: *Id quidem non proprium ſenectutis eſt vitium, ſed commune valetudinis.* Idem pro Sex. Roſc. *Quid tam commune quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctantibus, littus ejectis?*

lib. 7. c. 25. *ejectis?* Plinius: *Cæſari proprium & peculiare ſit præter ſupradicta, clementia inſigne.*

DATIVUS POST NOMEN.

Nomina, quibus Commodum, Voluptas, Gratia, Favor, Æqualitas, Fidelitas & his contraria ſignificantur, dativum poſcunt, ut: lib. 6. *Conſul ſalutaris, Pernicioſus Reip. Jucundus, Moleſtus, Gratus, Inviſus, Propitius, infeſtus civibus, fidus infidus imperio. Par impar tanto oneri.* Cic. ad Cinnam. *Erat meum conſilium cùm fidele* lib. 12. *Pompejo tum ſalutare utrique.* Idem ad Attic. *O gratas tuas mihi jucundaſque litteras.*

Item verbalia in bilis, ut Amabilis, Formidabilis, Optabilis.

Phil. 7. Cic. in M. Anton. *Pax præſertim civilis quamquam omnibus bonis, mihi tamen imprimis fuit optabilis.*

Quædam præterea, quæ ex præpoſitione Con componuntur, ut: Conſcius, Conſentaneus, Concors, Concolor, Confinis, cum adjectiva ſunt.

Phil. 9. Cic. 2. Tuſculan. *Mihi conſcius ſum nunquam me nimis cupidum fuiſſe.* Idem in M. Anton. *Sulpitii mors conſentanea vitæ fuit, ſanctiſſimè, honeſtiſſimèque acta.*

DATIVUS VEL ACCUSATIVUS cum præpoſitione Ad poſt Nomen.

Accommodatus, appoſitus, aptus, idoneus,

neus, habilis, utilis, inutilis, natus huic rei, vel ad rem rem.
Cic. in Piſonem: *Idem gurges atque helluo natus abdomini ſuo, non laudi atque gloriæ, omnes fortunis, multos fama vitaque privavit.* Idem de Claris Orat. *Cn. Pompejus, vir ad omnia ſumma natus.*

ACCUSATIVUS VEL ABLATIVUS poſt Nomen.

Adjectiva, quibus generalis dimenſio ſignificatur, accuſativum, vel ablativum caſum poſtulant, qui certam menſuram ſignificet.
Liv. *Foſſam ſex cubitis altam, duodecim latam, cum duxiſſet: extra duplex vallum foſſa circumdedit.* Columella. *Eſto ager longus pedes mille & ducentos, latus pedes centum viginti.* Bell. Ma. lib. 5. c. 5.

APPENDIX Tertii generis.

Interdum adhibetur genitivus.
Colum. *Modice ſingulos cyathos ſerere oportet in areolis longis denum pedum.* lib. 1. c. 2.

ABLATIVUS POST Nomen.

Extorris, nudus, dignus, contentus, inanis, Atque refertus, inops, locuples, alienus, onuſtus, Immunis, plenus, caſſus, diveſque, po-

 tenſque,

tenſque, Tum fretus, vacuus, tum captus, prǽditus, orbus, Indignus, liber, viduus ſibi jure latinum Aſſumunt caſum, ut: *Summo vir dignus honore.*

OPUS.

Opus nomen adjectivum, antecedente verbo ſubſtantivo, ablativum poſtulat.

l 14. Terrent. in Andr. *Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem, quam paro,* Cic. ad Att. *Apud Terentiam gratia opus eſt nobis, & tua auctoritate.*

Sæpe etiam cum ſubſtantivis more adjectivorum conſentit, neque tamen in caſus declinatur. Idem ad Curion. *Dux nobis & auctor opus eſt.* Idem ad Tiron. *Is omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent.* Idem ad Att. *Dices nummos mihi opus eſſe ad apparatum triumphi.* Livius. *Scipio comparanda ea, quæ opus erant, tempus habuit.*

lib. 2. lib. 16. lib 8. Bel. Pun. 10.

APPENDIX
Tertii generis.

Opus cum genitivo juxta Plancus.
Sed aliquantulum nobis temporis, & magni laboris & multæ impenſæ opus fuit.

lib. 10. Ep. Jungebant Priſci opus etiam cum accuſandi caſu. Plaut. *Puero opus eſt cibum.*

Aſinar. Uſus opus ſignificat, eodem ferè modo conſtruitur. Plaut. *Viginti jam uſus eſt filio argenti minis.* Idem. *Ad*

Aſinar. Pſeu. *eandem rem opus eſt hominem aſtutum, callidum,* pro opus eſt homine aſtuto, &c.

Cicero

Cicero Uſus pro Opus utitur, ſed ſine caſu. *De cæteris ſtudiis alio loco dicemus, ſi uſus erit.*

Adjectiva diverſitatis & numeralia ordinis ablativum cum præpoſitione A, vel Ab, admittunt.

Cic. *Certa cum illo, qui à te totus diverſus eſt.* *Aca. 4.* Idem ad Atticum: *Navigationis labor alicujus ab ætate noſtra.* *lib. 6.* Idem: *Poſt autem convicta à Carneade, qui eſt quartus ab Arceſilia.* *Aca. 4.* Hircius: *Imperio & potentiâ ſecundus à Rege.* *Bel. Alex. 4.*

Item Securus, Liber, Vacuus, Purus, Nudus, Inops, Orbus, Extorris.

Cic. in Verrem: *His quidem temporibus in omni orbe terrarum vacui, expertes, ſoluti ac liberi fuerunt ab omni ſumptu, moleſtia, munere.* *lib. 4.* Idem pro domo ſua. *Tam inops aut ego eram ab amicis, aut Reſp. à Magiſtratibus.*

APPENDICES

Tertii generis.

Alienus etiam genitivo, vel ablativo conjungitur.

Cic. *Quis alienum putat eſſe ejus dignitatis quam mihi quiſque tribuit.* idem. *Quod illi cauſa maximè eſt alienum.* *lib. 1. de fin. pro Cicin.*

COMPARATIVA.

Comparativo utimur cum ablativo quando vel plura diverſi generis comparantur.

Cic. in Cat. *luce ſunt clariora nobis tua conſilia.*

Vel

Vel cùm duo ejuſdem, aut diverſi generis conferuntur.

Cic. ad Octa. *Quæ non poſterior dies acerbior priore? & quæ non inſequens hora antecedente calamitoſior Populo Romano illuxit?* Sic: *Virtus multò pretioſior eſt auro.*

APPENDICES
Primi generis.

I.

Ablativus comparativi, intercedente conjunctione, Quàm, mutari poteſt in caſum verbo congruentem.

lib. 15. Cicero in Verrem: *Tu innocentior, quàm Metellus?* Idem ad Attic. *Nemo unquam nec Poëta,*
lib. 14.
Bel. *nec Orator fuit, qui quemquam meliorem, quàm*
Pun. 10. *ſe arbitraretur.* Livius: *Melior certiorque eſt tuta pax, quàm ſperata victoria.* Terentius in Phormionem: *Ego hominem callidiorem vidi neminem, quàm Phormionem.*

II.

Comparativa, quemadmodum & cætera adjectiva, cùm partitionem adſignificant, genitivum deſiderant.

ab urb. 3. Livius: *In hanc ſententiã, ut diſcederetur, juniores patrũ evincebant.* Hor. in art. *O major juvenum.*

Auctores tamen ſæpiùs ablativo utuntur cum præpoſitione E, vel Ex.

lib. 16. Cic. ad Att. *Ante ſcripta Epiſtola ex duabus tuis prior*

prior mihi lege cœpta eſt. Plin.ad Caninium: *Minorem ex duobus liberis amiſit.* lib. 3.

III.

Præter ſuum caſum admittunt comparativa ablativum, ſignificantem exceſſum.

Hercules fuit proceriór te cubito. Cur. *Turres denis pedibus quam murus altiores ſunt.* lib. 5.

Item caſum ſuæ poſitionis.

Cic.ad Plancum: *Mihi nemo eſt amicior, nec jucundior, nec carior Attico.*

Denique hos ablativos: opinione, ſpe, æquo, juſto, ſolito, dicto.

Cic.de claris Orat. *Opinione ego omnium majorem cœpi dolorem.* Livius: *Reate ſaxum viſum volitare, ſol rubere ſolito magis, ſanguineoque ſimilis.* Bell. Pun.

APPENDIX

Tertii generis.

Apud veteres interdum leges comparativum cum ablativo, etiam cum res ejuſmodi generis conferuntur.

Val.Max. *Idem ſentit Fabricius Ficinius honoribus, authoritate, omni civitate, temporibus ſuis major.* lib 3, c. 4

Virg.----*ſed cunctis altior ibat Anchiſes.* Æneid. 8.

ABLATIVUS SIGNIFICANS

Laudem, vituperationem vel partem.

Pleraque adjectiva ablativum poſtulant ſigni-

ſignificantem laudem, vituperationem, vel partem.

lib. 1. Qu. Cic. de petitione conſulatus: *Non erit difficile certamen cum iis competitoribus, qui nequaquam ſunt tam genere inſignes, quàm vitiis nobiles.* Cic. ad Orat. *Sunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita vultu motuq; corporis vaſti & agreſtes: ut etiamſi ingeniis, an arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non poſſint.*

lib. 3. Idem in Verrem: *Ob jus dicendum M. Octavum Ligurem hominem ornatiſſimum loco, ordine, virtute, ingenio, copiis poſcere pecuniam non dubitavit.* Saluſtius: *Ex altera parte C. Antonius pedibus æger, quod prælio adeſſe nequibat, M. Petrejo legato exercitum permittit.*

APPENDICES.

primi generis.

Ablativum partis frequenter in accuſativum mutant Poëtæ.

Æneid. 1. Virg. *Os humeroſque Deo ſimilis.*

Epiſt. l. 1. Hor. *Excepto quod non ſimul eſſes, cætera lætus.*

Bel. Pun. Item Hiſtorici, ſed rariùs.

lib. 3. c. 1. Liv. *Falarica eſt Saguntinis miſſile telum, haſtili oblongo. & cætera territi: præterquam ad extremum.*

Pomp. Mela. *Sarmatæ totum braccati corpus & niſi quæ vident, ora etiam veſtiti.*

DE

DE CONSTRUCTIONE TRANSITIVA Verbi.

GENITIVUS POST VERBUM

SUm genitivum petit, cùm poſſeſſionem ſignificat.

Cic. ad Cœlium: *Jam me Pompei totum eſſe ſcias.* *lib. 1.*

Aut ad aliquid pertinere.

Item in M. Ant. *Cujuſvis hominis eſt errare, nul-* *Phil. 12.*
lius niſi inſipientis perſeverare in errore. Idem in *lib. 1.*
offic. *Adoleſcentis eſt majores natu vereri.*

Item hæc duo intereſt. & Refert.

Idem in Fin. *Intereſt omnium rectè facere.* Quin- *lib 2.*
tilianus: *Plurimum refert compoſitionis, quæ qui-* *lib. 9. c.*
bus anteponas. *4.*

EXCEPTIO.

Intereſt tamen & refert hos ablativos habent: Mea, tua, ſua, noſtra, veſtra.

Cic. Tyroni: *Et tua & mea maximè intereſt te valere.* Terentius in Hecyr. *Tua quod nihil refert, percontare deſines.* Cic. pro Cluentio:
Hic ſua putat intereſſe, ſi re ipſa, & geſto negotio, *lib.16.*
non lege defendi. Idem pro Syl. *Veſtra enim qui cum ſumma elegantia atque integritate vixiſtis, hoc maxime intereſt.*

Cuja, vel cujas intereſt, perelegantèr dici-

tur,

Phil. 1. tur. Cic. pro Vareno: *Ea cædes ſi potiſſimum crimini datur, detur ei cuja interfuit, non ei cuja nihil interfuit.* Idem in Anton. *Quis enim eſt hodiè, cujus interſit iſtam legem manere?*

Verbum EST, pro ablativis, mea, tua, ſua, noſtra, veſtra, habet meum, tuum, ſuum, noſtrum, veſtrum.

lib. 2. Cic. de Fin. *Si memoria fortè defecerit, tuum eſt*
lib. 6. *ut ſuggeras.* Idem Cecinnæ. *Puto eſſe meum,*
Faſt. 4. *quod ſentiam exponere.* Ovid. *Nulla mora eſt operi, veſtrum eſt dare, vincere noſtrum.*

APPENDIX
Primi generis.

Magnum, parvum, tantum, quantum, junguntur in genitivo cum verbis Intereſt, & Refert.

lib. 16. Cic. ad Tyron. *Magni ad honorem noſtrum in-*
lib. 2. *tereſt, quamprimùm nos ad urbem venire.* Idem
lib. 1. ad Attic. *Permagni noſtra intereſt, te eſſe Romæ.*
Epiſt. ad Idem ad Q. Fr. *Parvi refert, abs te ipſo jus duci.*
Attic. Pomp. Lentulo: *Scio quanti Reip. interſit, omnes copias in unum locum primo quoque tempore convenire.*

Cætera hujuſmodi per adverbium adduntur, ut plurimum intereſt, maximè refert, nihil intereſt.

Act. 3. Cic. ad Tuſculan. *Theodori quidem nihil intereſt, humine, an ſublime putreſcat.* Idem ad Lucium: *Equidem ad noſtram laudem non multùm*

video intereſſe, ſed ad properationem meam quiddam intereſt, non te exſpectare.

APPENDIX
Tertij generis.

Verbum Intereſt locó genitivi poteſt accuſativum cum præpoſitione Ad recipere.

Cic. *Et quidem ad noſtram laudem non multum videtur intereſſe.* *Ad Luc. lib. 5.*

Miſereor, ſatago, genitivum caſum adſciſcunt.

Cic. ad Att. *Qui miſereri mei debent, non deſinunt invidere.* *lib. 4.*

Ter. Heaut. *Clinia rerum ſuarum ſatagit.*

Miſereor interdum dandi caſum poſtulat. *lib. 1.*

Seneca. *Miſereor tibi puellæ.* *Conſ.*

Obliviſcor, recordor, reminiſcor, memini pro recordor tum genitivum, tum accuſativum poſtulant.

Cic. Tuſ. *Eſt proprium ſtultitiæ aliorum vitia cernere, obliviſci ſuorum.* Id. in M. Ant. *Omnia obliviſcor, in gratiam redeo* Ter. Eunuch. *Faciam ut mei ſemper memineris.* Cic. de Seneƈt. *Omnia, quæ curant ſenes meminerunt.* *Phil. 2.*

Memini pro mentionem facio, cum genitivo vel ablativo & præpoſitione De jungitur.

Quintil. *Neque omninò hujus rei meminit uſquam Poëta.* *lib. 11.*

Idem *De quibus multi meminerunt.* *ibid.*

APPENDICES
Tertii generis.

Recordor, memini pro recordor etiam cum ablativo & præpoſitione De junguntur.

Cic. *Quoniam iſtis veſtris lachrymis de illis recordor, quas ſæpe pro me & ſalute mea profudiſti* Idem *De Planco memini.*

ProPlan. lib. 15. ad Att.

DATIVUS POST Verbum.

Sum modò dativum unum habet.

lib. 9. Cic. ad Att. *Sed nunciant melius eſſe ei.* Terent. Adelp. *Natura tu illi pater es, conſiliis ego.*

Modo duos.

lib. 2. Cic. ad Att. *Reſpondebo primum poſtremæ tuæ paginæ, quæ mihi magna moleſtia fuit.*

Verba quæ auxilium, adulationem, commodum, incommodum, favorem, ſtudium ſignificant, dandi caſum poſtulant, ut auxilior, adulor, commodo, incommodo, faveo tibi, ſtudeo philoſophiæ.

lib. 6. Cic. in Verrem. *Homini jam perdito, & collum*
lib 1. *in laqueum inſerenti ſubveniſti.* Cic. de Orat. *Cùm ita Balbus eſſet Demoſthenes, ut ejus ipſius artis, cui ſtuderet, primam literam non poſſet dicere, perfecit meditando, ut nemo planiùs eo locutus putetur.*

EXCEPTIO.

Incumbo cùm ad ſtudium refertur, accuſativum cum præpoſitione In poſtulat, ut incumbo in ſtudium Philoſophiæ, literarum, &c.

Cic.

Cic. de orat. *Quamobrem pergite ut facitis adoleſcentes: atque in id ſtudium in quo eſtis, incũbite.* lib. 1.
lib. 6.
Idem ad Att. *Nunc mi Attice tota mente incumbe in hanc curam, magna enim res eſt.* lib. 10.
Idem ad Plancum: *Mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem.* Idem in Catil. *Quare Patres conſcripti, incumbite ad ſalutem Reip. circumſpicite omnes procellas, quæ impendent.* Orat. 4.

APPENDICES
Primi generis.

Conſulo tibi, hoc eſt, proſpicio tibi, non conſilium do.
Cic. in Catil. *Conſulite vobis, proſpicite patriæ.* Orat. 4.
Conſulo te, id eſt, conſilium à te peto.
Cic. ad Verr. *Nunc judices jam vos conſulo, quid mihi faciendum putetis, id enim conſilium mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi neceſſariò capiendum intelligo.* lib. 2.

Dativo item adhærent compoſita ex verbo Sum, & quæ obſequium, obedientiam, ſubmiſſionem, repugnantiam ſignificant: ut Proſum, Obſequor, obtempero, ſervio, repugno tibi.
Cic. de offic. *Contemnuntur ii, qui nec ſibi, nec alteri proſunt (ut dicitur) in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt.* Idem pro Syl. *Ego vero quibus ornamentis adverſar tuis? aut cui dignitati veſtræ repugno?* lib. 2.
Dandi præterea caſum deſiderant, quæ even-

tum ſignificant: ut Accidit, Cadit, Contigit, Evenit, obvenit. Obtingit.

lib. 1. Cic. ad Q. Fr. *A te mihi omnia ſemper honeſta & jucunda acciderunt.* Idem in Verr. *Sorte Provincia Sicilia Verri obvenit.* Idem in offic. *Quod cuique obtigit, id quiſque teneat.*

lib. 4.

lib. 1.

Item Libet, licet, liquet, expedit, & quæ ſunt generis ejuſdem.

lib. 2. Ter. Adelph. *Facite quod vobis licet.* Cic. de Orat. *Si tibi id meum libebit, non te urgebo.* Idem in Verr. *Non idem licet quod iis, qui nobili genere nati ſunt.* Item Academ. *Si habes quodquod tibi libeat, neque reſpondens ſuperbis.*

lib. 7.

lib. 4.

Multa denique ex verbis neutris, & præpoſitionibus Ad, con, in, inter, ob, præ, ſub, dandi caſum ſibi aſſumunt, ut Aſſurgo, conſentio, immineo, illacrymo, intervenio, obverſor, præluceo, ſuccumbo.

Cic. pro Seſto. *Mihi ante oculos verſatur Reip. dignitas.* Idem in Sall. *Ego meis maioribus virtute praluxi.*

Cic. Bru. *Te obſecro, ut in perpetuam Remp. dominatu regio liberes, ut principiis cõſentiant exitus.*

DATIVUS VEL ACCUSATIVUS poſt Verbum.

Antecedo, anteeo, anteſto, anteverto, attendo, præſto, præcurro, præeo, præſtolor, inceſſit, illudo, dandi vel accuſandi caſum admittunt.

Cic. de Fin *Virtus tantum praſtat cateris rebus, ut dici*

dici vix poſſit. Liv. *Robore navium, & virtute militum Romani Rhodios præſtabant.* lib. 1. Bel. Gal. 7.

INTERDICO.

Interdico ſingulare eſt, nam præter dativum ablativum habet.

Cæſar: *Poſteaquam in vulgus militum relatũ eſt, qua arrogantia in colloquio Arioviſtus uſus, omni Gallia Romanis interdixiſſet, multo major alacritas ſtudiumq; pugnandi majus exercitui injectum eſt.* Bel. Gal. 1.

Item accuſativum.

Livius. *Fœminis duntaxat uſum purpuræ interdicemus.* Bell. Ma. 4.

ABLATIVUS POST VERBUM.

Sum ablativum petit, ſignificantem laudem vel vituperationem.

Cic. Lentulo. *Tu fac animo forti magnoque ſis.* Idem poſt reditum ad Quirites: *Bona valetudo jucundior eſt iis, qui è gravi morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt.* Idem contra Rullum: *Quem veſtrûm tam tardo ingenio fore putavit?* Id in Brut. *Summo iſte quidem ingenio dicitur fuiſſe.* lib. 1.

APPENDIX

Primi generis.

Sum interdum genitivum habet etiam cùm laus vel vituperatio ſignificatur.

Cic. pro Seſt. *Nimiũ me timidum nullius animi, nullius conſilij fuiſſe confiteor.* Id in Octav. *Antonius*

lib. 4. *nius vir maximi animi, utinam etiam ſapientis conſilii fuiſſet.* Plin. ad Clementem: *Erat puer acris ingenij, ſed ambigui.*

ABLATIVUS

His egeo, indigeo, careo, vaco, victito, veſcor.
Vivo, ſuperſedeo, potior, delector, abundo.
Maneo, redũdo, fluo, ſcateo, fruor, atq; laboro.
Glorior, oblector, lætor, quibus addito nitor.
Cõſto, pluit, valeo, poſſum, ſto, fungor, & utor,
Quem Graii ignorant, caſum tribuere Latini,

Cic. ad Q. Fr. *Incredibile eſt mi Frater, quam egeam tempore.* Id de Offic. 1. *Nihil honeſtum eſſe poteſt quod juſtitia vacat.* Plin. 6. c. 30. *Pars quædam Æthiopum locuſtis tantum vivit, fumo & ſale duratis.* Cic. pro Sex. Roſcio: *Commoda quibus utimur, lucemque qua fruimur, ſpiritumque quem ducimus, à Deo nobis dari, atq; impertiri videmus.* Liv. 1. ab urbe: *Nunciatum eſt regi, Patribuſque in monte Albano lapidibus pluiſſe.*

lib. 6. c. 1.

lib. 3.

Quibus adde periclitor.

Quintilianus: *Si aut ſtatu periclitari, aut opinione litigator videtur.*

APPENDICES

Secundi generis.

I.

Egeo, indigeo, potior, etiam caſum interrogandi admittunt.

Cic.

Cic. ad Att. *Ego conſilii, quod optimum factu videbitur facies.* In id. Anton. *Hoc bellum indiget celeritatis.* Id Lent. *Otium nobis expectandũ eſt, quos ii, qui potiuntur rerum præſtaturi videntur.* lib. 7. Phil. 7. lib. 1.

Potior, veſcor, fungor, pluit non recuſant accuſandi caſum.

Cic. 1. Tuſc. *Ego doleam ſi ad decem millia annorum gentem aliquam utilem noſtram potituram putem.* Plin. *Aves nonnullæ veſcuntur ea, quæ rapuêre pedibus.* Ter. in Adelph. *Neque boni, neque liberalis fructus officium eſt viri.* Liv. *In area Vulcani, & concordiæ ſanguinem pluit.* lib. 10. c. 3 lib. 2. c. 5. lib. 2.

Neutra ſæpè ablativum admittunt ſignificantem partem.

Cic. ad Orat. *Equidem & in vobis animadvertere ſoleo, & in me ſæpiſſimè experior, ut exalbeſcam in principiis dicendi, & totâ mente, atque omnibus artubus contremiſcam.* Idem ad Q. Fr. *Si tibi bellum aliquod magnum & periculoſum adminiſtranti prorogatum imperium viderem, tre- -,erem animo.* lib. 11.

Hoc genere loquendi frequentiùs utuntur Poëtæ, qui ablativum etiam in accuſativum mutare conſueverunt.

Hor. *Animoque & corpore torpet.* Idem. *Tremis oſſa pavore.* Virg. *Stare loco neſcit, micat auribus & tremet artus.* Ep. 2. S. 2. Sa. 7. Georg. 3.

APPENDICES
Tertii generis.
I.

Careo, abundo, Scateo, apud veteres etiam cum genitivo jungebantur.

Haut. lib. Ter. *Tuis carendum erit* Luc. *Quarum abundamus re-*
1. c. 1. *rum.* Gell. *rarumque ſcatebant.*

Tuſc. Conſto, laboro, frequentiſſimè propoſitionem Ex admittunt.

Cic. *Cùm conſtemus ex animo & corpore.*

Utor, abutor apud Comicos ſæpè accuſativum habent.

Aſin pro Plaut. *Cætera quæ volumus uti, Græca mercamur fide.*
Am. Terr. *Nam in prologis ſcribendis operam abutitur.*

DE CONSTRUCTIONE
Verbi Activi.

VErbum activum, vel potius accuſativum verbum, cujuſcunque, demum poſitionis
lib. 9. ſit, poſt ſe accuſandi caſum poſtulat.
lib. 14. Ut: *Deum cole. Imitare divos. Amplectere virtutem. Novi animi tui moderationem. Non decet ingenuum puerum ſcurrilis jocus. Heu quam miſeram vitam vivunt avari.* Cic. ad Att. *Ingrati amici crimen horreo.* Idem ad Att. *Amariorem me ſenectus fecit, ſtomachor omnia.*

APPENDIX

Hæc tria poſtrema & ſimilia tantiſper activa cenſentur, dum accuſandi caſum vendicant.

*G*ENITIVUS PRÆTER
Accuſativum.

Verba accuſandi, abſolvendi, damnandi potiſſimum accuſo, acceſſo, vel arceſſo, arguo, alligo, aſtringo, coarguo, deſero, incuſo, infamo, in-

inſimulo, poſtulo, abſolvo, damno, contemno, convinco, præter accuſativum genitivum admittunt, qui pœnam, crimenve certum aut incertum ſignificet.

Cic. pro Cajo. Rab. *An non intelligis primùm quos homines, & quales viros mortuos ſummi ſceleris arguas?* Idem ad Herennium. *Cajus Cœcilius judex, abſolvit injuriarum eum, qui Lucium Poëtam in ſcena nominatim læſerat.* Idem: *Majores noſtri ſi quam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici judicio multorum maleficiorum convictam putabant* Cic. pro Cajo Rab. *Civem Romanum capitis condemnare cogit.* Terent. Enunch. *Hic furti ſe alligat.* Plaut. Pæn *Homo furti ſe obſtringit.* lib. 2. lib. 4.

APPENDICES.

primi generis.

I.

Genitivus criminis, maximè cum his verbis accuſo, arguo, defero, poſtulo, appello, abſolvo, damno, condemno, in ablativum cum præpoſitione De mutari poteſt.

Cic. ad Att. *Non committam poſthac, ut me accuſare de epiſtolarum negligentia poſſis.* Liv. *Blactius de proditione Daſium appellabat.* lib. 1. Bell. Pũ.

EXCEPTIO.

Hoc tamen nomen crimen, ablativo ſine præpoſitione effertur.

Cic. Curioni: *Si iniquus es in me judex, condemnabo ego te crimine.*

Dicimus etiam capite aliquem damnare, punire, plectere.

lib. 1. *c.* 4. Author ad Heren. ***Eum vos jurati capite damnaſtis.***

Pandect. 48. Suet. in Othone. ***Auſus eſt milites capite punire.*** Marcellus. ***Capite plecti debent, vel in inſulam deportari.***

II.

Abſolvo, libero, alligo, aſtringo, mulcto, obligo, obſtringo quemadmodum ſuapte natura ablativum petunt, ita & ablativum ſignificantem pœnam crimenve ſine præpoſitione admittunt.

Ab urb. 3 *lib.* 1. Livius ***Ego me etſi peccato abſolvo, ſupplicio non libero.*** Cic. de Orat. ***Vitia hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, auxiliis mulctantur.***

Non temerè utendum verbis accuſandi. Nec enim corripio, reprehendo, vitupero, culpo castigo, punio, plecto, mulcto, excuſo, traduco, cum genitivo junguntur. Item ſugillare, taxare, alicujus parſimoniam, &c. dicam potius, quam ſugillare aliquem parſimoniæ.

l. 19. *ep.* 8. Sen ***Cum cœperat voluptates noſtras traducere, laudare caſtū.***

III.

Verba hæc accuſandi, &c. interdum præpoſitionem In admittunt.

Ad Q. Fa. Cic. ***Primum me tibi excuſo in eo ipſo, in quo me accuſo.***

Purgo me apud aliquem, ſeu alicui de aliqua re, uſitatius eſt, quàm alicuius rei.

Ad Q. F. Cic. ***De altero me purgavi.***

Ad-

Admoneo, commoneo, commonefacio, genitivum habent cum accuſativo.

Quint. *Grammaticos ſui officii commonemus.* Author ad Heren. *Cum ipſe te veteris amicitiæ commonefaceret commotus es.* lib. 3. c. 1. lib. 4.

Item miſeret, miſereſcit, piget, pœnitet, pudet, tædet.

Plaut. Trinum. *Miſeret te aliorum: tui te nec miſeret nec pudet.* Ter. Heaut. *Inops te miſereſcat mei.*

Cic. pro Plau. *Vide quam me verbi tui pœniteat.*

Terent. in Adelph. *Fratris me quidem pudet, pigetque.*

Cic. ad Att. *Quid quæris? tædet nos omnes vitæ.* lib. 5.

APPENDICES
Tertii generis.
I.

Hæc priſcis illis temporibus integra fuiſſe, omnibus perſonis, numeriſque abſoluta, docent non obſcura veſtigia.

Ennius: *Miſerete manus, date ferrum, ut me anima privem* Virg. *Arcadii quæſo miſereſcite Regis* Plaut. *Adoleſcens quæſo loquere tuum mihi nomen, niſi piget.* Quintil. *Eo uſque proceſſum eſt, ut non pœniturum, pro acturum pœnitentiam, dixerit Saluſtius.* Plaut. *Ita nunc pudeo, atque nunc paveo.* Gell. *Cum omnes finem caperent, urbis que ejus fatigati pertæduiſſent.* Hecuba Æneid. 8. Monachi. lib. 9. c. 1.

Nominativum aperte, ſimul cum accuſativo nunc accipe.

Terent. *Non hæc te pudent?* Plaut. *Et ne quidem hæc conditio nunc pœnitet.* Caſin. l. 1. cap. 12.

II.

Quinque hæc verba videntur quondam fuiſſe depo̅nentia, cui rei argumento eſt carmen Turpilli ac Quadriga-

lib. 5. c. 15 drigarius apud Gell. Cat. *Mars ecquando te noſtrum, & reip. miſerebitur.*

Unde adhuc illa exiſtant miſertum eſt, pigitum eſt, puditum eſt, pertæſum eſt.

Heaut. Ter. *Ita me dii amant, ut me tuarum miſertum eſt,*
ad Q. Fr. *fortunarum.* Cic. *Pertæſum enim levitatis eſt, aſſen-*
In Cæſ. c. *tationes animorum, non officii, ſed temporibus ſervien-*
7. *dum.* Suet. *Et quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quod nihil dum a ſe memorabile actum eſſet.*

Aliquando omittitur accuſativus.

Æneid. Virg. *Si non pertæſum thalamos tædeque fuiſſet.*
4. ad At. Id quod ſæpe numero activus uſu venit.
lib. 2. Cic. *Prorſus vita tædet.* Ter. *Num cogitat, quæ dicat?*
Andria. *num facti piget.*

III.

Pacuvius apud Nonium imperſonaliter utitur Vereor eodem modo. *Nihil te populi veretur.* Et Accius. *Si tui veretur te progenitoris.* Et Cic. *Primum Ariſtippi & Cyrenaicorumque omnium, quod non eſt veritum, &c.*

VERBA ÆSTIMANDI.

Verba æſtimandi, præſertim æſtimo, duco, facio, habeo, pendo, puto, præter accuſativum hos ferè genitivos aſſumant, magni, maximi, pluris, plurimi, parvi, minoris, minimi, tanti, tantidem, quanti, quantidem.

lib. 2. Cic. ad Att. *Ego pro Pompejo libenter emori poſſum: facio pluris omnium hominum neminẽ.* Ter. And. *Merito te ſemper maximi feci Chreme.* Id. Heaut. *Tu illum nunquã oſtendiſti quãti penderes.*

APPENDICES

Primi generis.

Dicimus etiam magno, permagno, parvo, & magno pretio æſtimare.

Cic.

Cic. de Fin. *Ne ego iſtam glorioſam memorabilĕque virtutem non magno æſtimandam putem.* Idē in Verr. *Tu iſta permagno æſtimas?* Valet Max. *Magno ubique pretio virtus æſtimatur.* Seneca *Niſi fortè parvo te æſtimas.* lib. 1. lib. 5. lib. 1. c. 4. De bon.

APPENDICES
Secundi generis.

Nauci, flocci, pili, aſſis, teruntij, nihil, cùm verbo facio junguntur.

Cic. de Fin. *Eum nihili feci.* lib. 2.

Dicimus etiam

Tuas minas hujus non facio flocci: nihili tuas fortunas pendo. Non aſſis, non flocci te æſtimo Pro nihilo habeo, puto, duco divitias omnes præ virtute. Non bonam valetudinem æſtimo.

Sum, pro æſtimor, genitivos magni, maximi, pluris, plurimi, cæteroſque admittit.

Cic. pro Seſt. *Quis Carthaginenſium pluris fuit Annibale, conſilio, virtute, rebus geſtis?* Idem ad Caſſ. *Magni erunt mihi tuæ litteræ.* lib. 1.

SINGULARIA.

Æqui, bonique, vel æqui boni facio, boni conſulo, ſingularia ſunt.

Teren. in Heaut. ---- *Equidem iſtuc Chreme Æqui boni facio.*

Cic. ad Att. *Tranquilliſſimus animus meus tecum iſtud æqui boni facit.* Seneca. *Hanc coqui ac piſtoris moram boni conſulo.* Idem: *Hoc munus rogo, qualecunque eſt, boni conſulas.* Ep. 1. 27. de bon. 2.

DATIVUS CUM ACCUSATIVO.

Verba dandi, reddendi, committendi, promittendi, declarandi, aut potiendi, poſtponendi, præter accuſativum dativum exigunt.
Phil. 10. Cic. ad Planc. *Salutem tibi iidem dare poſſunt,*
lib. 10. *qui mihi reddiderunt.* Ter. in Andr. *Facile omnes cùm valemus, recta conſilia ægrotis damus.* Idem in Eunuch. *Ego me tuæ commendo & committo fidei.* Cic. in Anton. *Græcia tendit dexteram Italiæ, ſuumq; ei præſidium pollicetur.* Idem
lib. 13. c. 5 ad Attic. *Meas cogitationes explicavi tibi ſuperioribus literis.* Idem part. *Iſta tua ſtudia vel maximis meis occupationibus anteferrem libenter.* Pl. *Cyrenaica Regio loton ſuæ poſtpoſuit paliuro.*

APPENDIX
Primi generis.

Alia præterea ſunt ſunt hujus ordinis, ut facio tibi fidem.
lib. 5. *Ago vobis maximas gratias, interdixiſti nobis u-*
lib. 4. *ſum purpuræ. Minor, minitor, tibi mortem, tor-*
lib. 3. *menta. Scribo, mitto tibi & ad te literas.* Vatin. ad Cic. *Omnia mihi dura imperas.* Sulpic. ad Cic. *Ea tute tibi ſubjice, quæ alias tuta pracipe-*
lib. 14. *re ſoles.* Cic. ad Att. *Tu quod ipſe tibi perſuaſeris,*
lib. 10. *idem mihi perſuaſum ſit meo.* Id. ad eundē. *Hoc velim tibi penitus perſuadeas.* ad eundem. *Te tibi perſuadere volo, mihi neminem eſſe te chariorem.*

III.

Multa denique compoſita ex activo & prępoſi-

poſitivne Ad, in, ob, præ, ſub, præter dativum etiam accuſandi caſum poſtulant.

Cic. ad Att. *Inimici mei mea mihi non me ipſum ademerunt.* Idem in eundem. *Vereor ne Pompejo quid oneris imponam.* Idem in Anton. *Antonius ignobilitatem objicit C. Cæſaris filio.* Idem de Univ. *Præfecit Deus animum, ut Dominum & Imperatorem obedienti corpori.* Idem pro Aur. *Nolite mihi ſubtrahere Vicarium meæ diligentiæ.* lib. 5. lib. 10. Phil. 3.

APPENDIX
Secundi generis.

Habeo tibi fidem, id eſt, credo uſitatiſſimum, elegantiſſimumque eſt. Adhibeo tibi fidem in eadem re, dubium controverſum eſt.

APPENDIX
Tertii generis.

Verbum mutuo non eſt hujus loci, non enim dicimus: Mutuavi tibi pecunias. Mutuaſti mihi centum nummos, ſed dedi tibi pecunias mutuas.

Dediſti mihi mutuos centum aureos; dediſti mihi mutuum frumentum. Cic. ad Att. *Ego rebus omnibus, quod is quoque in anguſtiis qui cum ſumus, cui magnam dedimus pecuniam mutuam.* Ter. Heu. *Huic drachmarum argenti mille dederat mutuum.*

GEMINI DATIVI
præter accuſativum.

Sunt quibus geminus dativus præter accuſativum anteponitur..

Do tibi hoc laudi, vitio, culpæ, crimini, pignori, fœnori. Vertis id mihi vitio ſtultitiæ. Ducis honori, gloriæ, laudi, vitio, damno. Cic. pro Sex. Roſc. *Profecto intelliges inopiâ criminum ſummam laudem*

lib. 14. *dem Sex. Roſc. vitio & culpa dediſſe.* Plaut. Epid. lib. 9. *Quis erit vitio qui id non vertat tibi?* Ter. Adelph. *Tu nunc tibi laudi ducis, quod tum feciſti inopiâ.*

GEMINUS ACCUSATIVUS poſt verbum.

Moneo, doceo cum compoſitis: item flagito, poſco, repoſco, rogo, interrogo, celo duos accuſandi caſus admittunt.

lib. 7 Cic. ad Att. *Idipſum quod me mones, quatriduo* lib. 1. *ante ad eum ſcripſeram.* Idem ad eundem: *Illud me præclarè admones, quum illum videro, ne nimis indulgenter, & cum gravitate potius loquar.* Id. ad Treb. *Silii cauſam te docui.* Id ad Q. Fr. *Hoc te ita rogo, ut majore ſtudio rogare non poſſim.*

APPENDICES Tertij generis.

I.

Moneo, admoueo, commoneo, doceo, edoceo, erudio te de hac re, id eſt commonefacio, certiorem facio.

lib. 12. Cic. ad Att. *Extremum eſt quod te orem, cum Camillo communices, ad Terentiam commoneatis de teſtamento.* Sall. *Senatum docet de itinere hoſtium.* In Cat. Cic. ad Cœlium. *Obvia mihi velim ſint tua litte-* lib. 2. *ra, quæ me erudiant de omni Rep.*

II.

Interrogo, Celo, eandem præpoſitionem admittunt.

Idem in Part. *Sic ego te viciſſim iiſdẽ de rebus in-*

terrogem. Idem ad Trebat. *Baſſus noſter me de hoc libro celavit.* lib. 7.

Celo etiam dativo gaudet, maximè voce paſſiva.

Ter. Phorm. *Si hoc celatur patri in metu ſum.*

APPENDICES
Secundi generis.

I.

Verbo commoneo non auſim geminum accuſativum dare; ſed accuſativum cum genitivo vel ablativo.

II.

Erudio, inſtituo, informo, inſtruo, imbuo, quamvis ſint verba docendi, non tamen geminum accuſativum habent: ſed accuſativum cum ablativo, ut: *Erudire aliquem artibus, inſtruere aliquem doctrina, literis Græcis, imbuere bonis moribus, religione.*

APPENDICES
Tertij generis.

I.

Peto cum duobus accuſativis, nondum quod meminerim, apud veteres inveni

Petere jura Cordubam dixit Plinius, ea dicendi figura, qua petere ludos pro ab ludis. lib. 3. c.

Priſci dicebant: *Exigor pecunias portorium.*

Unde videntur etiam dixiſſe: *Exige te pecunias portoria,* quæ ſeculum eruditum rejecit.

III.

Erudio apud Poetas duos accuſativos admittit.

Stat. *Et quæ leges præceptaque fortia belli.* In Theb.

Erudiit genitrix nimium dixiſſe queretur.

ABLATIVUS PRÆTER Accuſativum.

Induo, inſterno, veſtio, exuo, calceo, cingo, & his ſimilia, ablativum præter accuſativum ſibi adſciſcunt.

lib. 2. Cic. de Nat. Deor. *Oculos natura membranis te-*
lib. 3. *nuiſſimis veſtivit & ſepſit.* ibid. *Diligentius urbem religione quàm ipſis mœnibus cingitis.*

Item implendi verba, Onerandi, Liberandi, & his contraria.

Phil. 2. Cic. de Univerſ. *Cùm conſtituiſſet Deus bonis omnibus explere mundum, nihil admiſcere.* Id. in
lib. 16. Anton. *Omnibus contumeliis onerasti.* Id. in Ver.
Ora. 2. *Apollonium omni argento ſpoliaſti.* Id. in Cat. *Magno me metu liberabis, dummodo inter me, atque*
lib. 2. *te murus interſit.* Id. de Offic. *Nunquid ſe obſtrinxit ſcelere ſi quis tyrannum occidit?*

Multa præterea verba privandi.

lib. 9. Cic. ad Att. *Ægritudo me ſomno privat.* Teren. in Phorm. *Emunxit argento ſenes.*

APPENDICES Secundi generis.

I.

Impleo etiam genitivum admittit.

lib. 9. Cic. ad Pætum. *Non potes ollam denariorum implere.*

II.

Minh. Compleo apud Plaut. cum genitivo reperitur. *Paraſitus, qui me compulit flagitii & formidinis.*

AP-

APPENDICES Tertiii Generis.

I.

Impleo interdùm ablativum habet cum præpoſitione De.

Mart. *Hos niſi de flava loculos implere moneta non decet.*

II.

Verba veſtiendi nondum, quod meminerim, legi apud veteres cum duobus accuſativis, juncta voce activa: paſſiva quidem apud Hiſtoricos & Poetas reperiuntur.

Curt. *Itaque revocatus veſtem patris eam ipſam quæ in ſella erat, induitur.* lib. 10.

Virg. --- *deinde comantem,* Æneid.
Androgei galeam, clypeique inſigne decorum
Induitur.

ABLATIVUS CUM PRÆPOSITIONE à vel ab præter accuſativum.

Verba petendi, præcontandi, præter accuſativum ferè ablativum cum præpoſitione à vel ab poſtulant, ut: Poſco, repoſco, flagito, efflagito, poſtulo, deprecor, peto, contendo, exigo, percontor, quæro, ſciſcitor.

Cic. in Verrem. *Nihil eſt quod minus ferendum ſit, quàm alterum ab altero vitam repoſcere eum, qui non poſſit ſua reddere* Id. de Orat. *Quo facilius id à te exigam quod peto, nihil tibi à me poſtulanti recuſabo.* Id. pro Sylla *Quàm multorum hic vitam eſt à L. Sylla deprecatus.* lib. 1. lib. 7. lib. 2.

Quæro, percunctor, ſciſcitor à te vel ex te. Cic. in vatin. *Quæro illud etiam ex te, quod privatus amiſiſti.* Id. de nat. Deor. *Epicuri ex Velleſo*

lib. 1. *leſo ſciſcitabat ſententiam*: Autor. ad Her. *adverſariis percontatur accuſator quid futurum ſit.*

APPENDICES
Tertij generis.

I:

Non ſtatim exiſtimavimus ſi quæ verba præter proprium accuſativum admittant hos: Hoc, illud, iſtud, idem, quid, quod, aliquid, &c poſſe etiam quoſvis alios admittere Nam his multò liberius, quam cæteris uruntur Auctores. Terent. *Ego domi ero ſi quid me voles.* Cic *Non quo me aliquid juvare poſſes.*

Heaut. ad Art. 6.

II.

Oro, exoro, obſecro, poſt accuſativum perſonæ ferè ſubjunctivum poſtulant, intercedente Ut.

de orat. 2 Cic. *Frater exoravit me ipſum, ut huc ſecum venirem.*

Multa præterea verba auferendi, removendi, abſtinendi, accipiendi, præter accuſativum, ablativum etiam caſum cum præpoſitione A, vel ab admittunt.

lib. 2. Cic. pro domo ſua: *Clodius pecunias conſulares à ſenatu abſtulit.* Id. pro Milone: *Ego Clodii furorem à cervicibus noſtris repuli.* Cic. de fin. *Abſtinet ſe ab injuria.* Cic. *Præclarum à majoribus morem accepimus.*

Fœneror, mutuor abs te pecuniam.

lib. 2. Cic. Tuſc. *A viris virtus nomen eſt mutuata.*

APPENDIX
Tertii generis.

Quædam etiam præpoſitionem [illegible] e admittunt

pro. Fl. Cic. *Audivi hoc de patre meo puer.* Idem: *[illegible]s fundum*

pro Cor. *Romæ mercatus eſt.*

Intelligendi verba præpoſitionem Ex recipiunt:

piunt: quæ interdum imitantur nonnulla ex iis quæ modò commemoravimus.

Cic. Cælic. *Ea certiſſima putabo, quæ ex te cognôro* Id. de Senect. *Poma ex arboribus, ſi cruda ſunt vi avelluntur, maturâ & cocta decidunt.* lib. 1.

VARIA CONSTRUCTIO.

Quædam modò dativum, modò ablativum cum præpoſitione habent, præter accuſativum, ut: Furor, Surripio, Eripio, Aufero.

Cic. Att. *Si ego tuum ante legiſſem furatum, me abs te eſſe diceres.* Plin. *Nemo furatur alteri.* lib. 2. lib. 2.

Induo, dono, impertio, aſpero, dativum vel ablativum ſine præpoſitione habent.

Cic. pro Roſcio: *Non pauca ſuis adjutoribus largè effuſeque donabat.* Id pro Cornel. *Eum Pompejus civitate donavit.*

VERBUM PASSIVUM.

Verbum paſſivum ablativum cum præpoſitione à, vel ab, poſtulat poſt ſe, qui ex nominativo verbi activi fit.

Cic. de nat. Deor. *Nihil eſt virtute amabilius, quàm qui adeptus eſt ubicumque erit gentium à nobis diligetur.* Id. ad Cæcinnam: *Liber tuus & lectus eſt, & legitur à me diligenter, & cuſtoditur diligentiſſimè.* Id. Att. *An tu exiſtimas ab ullo malle me legi, probarique quam à te.* lib. 1. lib. 6. lib. 5.

APPENDIX

Primi generis.

Verba paſſiva nonnunquam dandi caſum pro auferendi, more Græcorum, admittunt; idque ferè apud Poëtas.

3. de Pon. Ovid. *Cum toties eàdem dicam, vix audior ulli.*
Dec. Cic. *Auditus eſt nobis Lælii Caii filii ſæpè ſermo.*
Or. ad Interdum accuſativũ addita præpoſitione per
Cic. *Id aſſequetur, ſi per prætores conſules crentur.*

APPENDIX
Tertii generis.

Cùm activa paſſivis permutantur, accuſativus in nominativum migrat, ut:
Lege librum tuum, liber tuus lectus eſt à me.

Si verbum geminum accuſativum poſtulat, mutabitur in nominativum qui præſtantior eſt, hoc eſt, qui perſonam ſignificat, altero permanente.
Doceo Antonium literas, Antonius docetur litteras à me.

Si verò uterque accuſativus ad eandem rem ſpectet, uterque mutabitur in nominativum, ut:
Creo Cæſarem conſulem, Cæſar creatur à me conſul.

VERBA PASSIVA, QUÆ TEMPORA ſine perſonis habent, hoc eſt, præcipuis perſonis prima & ſecunda.

Sunt verba paſſiva, quæ tertia perſona contenta ſunt. Hæc præcedit nominativus, ſi activa ſequatur accuſativus, ut: dormio totam
lib. 13. hyemem. Martialis: *Tota mihi dormitur hyems.*

Nunc tertiam vivo ætatem.
Met. 11. Ovid. --- *Nunc tertia vivitur ætas.*

Quod ſi activis lateat accuſativus, etiam in
de Bell. paſſivis nominativus latebit.
Gall. 4. Cæſar. *Noſtri milites ampliùs quatuor horas fortiſſimè pugnaverunt.*

Ano-

A noſtris militibus amplius quatuor horis fortiſſimè pugnatum eſt.

Interdum uterque caſus apparet.

Plaut. in Pſeudo. *Priuſquam iſtam pugnam pugnabo, ego etiam prius dabo aliam pugnam.* Cic. pro Murena: *Ex omnibus pugnis quæ ſunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quæ cũ Rege commiſſa eſt, & ſumma contentione pugnata.* Sal. in Jug. *Quæ negotia multò magis, quàm prælium malè pugnatum à ſuis Regem terrebat.*

Poſt ſe ablativum ſingularis vel pluralis numeri, cum præpoſitione à vel ab exigunt. Cic. ad Appium: *Nihil eſt à me inſervitium temporis poris causâ.* Idem Lentulo. *Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum eſt.* lib. 1.

Hic caſus ſæpè numero tacetur.

Plaut. in Pſeudo: *Quid agitur? P. ſtatur hic ad hunc modum.* Id. Perſa. *Quid agitur? vivitur.*

APPENDICES
Secundi generis.

Hæc verba paſſivorum conſtructionem omninò ſequuntur, modò enim etiam dativum habent. Mart. *Tota mihi dormitur hiems.*

Modò accuſativum cum præpoſitione per. Cic. *Confirmabat is curaturum ſe eſſe, ne quid ei per filium noceretur.* 4. in Verr. lib. 1.

Verba communia paſſiva, ſignificatione paſſivorum more ſextum caſum interdum admittunt.

Apud. Cic. ad Nepotem. *Hoc reſtiterat etiam, ut à te*
Priſc. 8. *fictis aggrederer donis.* Cic. de ſenect. *Mirari ſe*
non modò diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus à
quo eſſent illa dimenſa & deſcripta.
Apud Varr. *Omnia ora maritima ab Archais depopu-*
Priſ. 8. *lata erat.* Id. *Amicum ab ipſo per tot caſus exper-*
lib. 7. *tum.* Seneca. *Infirmiores à validioribus tueban-*
Dec. 4. *tur.* Verrius Flaccus: *Sævitiaque reum ab omni-*
lib. 5. *de* 5 *bus abominaretur.* Hirtius: *Cajus interim Virgi-*
Ep. 9. *lius poſtquam terra marique clauſus, ſe nihil pro-*
Apud *ficere intellexit, Regem vagum à ſuis deſertum ab*
Priſ. 2. *omnibus aſpernari.*

Nonnunquam dativum pro ablativo habens. Ter. Phor. *Meditata ſunt mihi omnia mea incommoda.*

ADMONITIO.

Tyrones maximè præſenti tempore, & imperfecto, à verbis communibus ſignificatione paſſiva, quoad ejus fieri potetit abſtinebunt.

Hæc enim teſtimonia non tam eorum cauſa quàm in veteranorum gratiam allata ſunt: quibus pro ſua prudentia & eruditioue, an ſit utẽdum, judicabunt.

NEUTRO-PASSIVA.

Vapulo, veneo, fio, ut paſſionem ſignificant, ita paſſivorum more conſtruuntur.
lib. 18. *Malo à parentibus vapulare, quàm aſſentatoribus aures patefacere.* Cic. ad Tit. *Quantam ad diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me*
lib. 12. *c.* 1 *fieri à te judicabo.* Quint. *Fabricius reſpondit, à cive ſe ſpoliari malle quam ab hoſte venire.*

AP-

APPENDIX
Primi generis.

Fio, eleganter cum Ablativo jungitur ſine præpoſitione, ſed alia ſignificatione.

Ter. Andr. *Nunc primum audio, quod illo factũ* *lib. 14.*
ſit. Ibidem: *Quid me fiet:* Id Heaut. *Iu fortaſſe quid me fiat parvi pendis.* Cic. ad Ter. *Quid puero miſero fiet.* Idem. *Quid Tuliola mea fiet?*

Participium Futurus, eodem ſenſu, eundem caſum poſtulant.

Terent. Heaut. *Quid me futurum cenſes?*

Et cum Dativo.

Cic. in Ant. *Vide quæſo, Antoni, quid tibi futu-* *Phil. 1.*
rum ſit.

APPENDIX
Secundi generis.

Verbum Facio, eodem modo uſurpatur à doctis, quo fio.

Cic. *Quid hoc homine faciatis?* *In Verr.*
Ter. *Nec quid me nunc faciam ſcio.* *lib. And.*
Idem. *Quid enim faceret huic concluſioni?* *pro Cæc.*

COMMUNES OMNIUM VERBORUM *1. Acad.*
Conſtructiones.

Hactenus de propria atque privata verborum conſtructione dictum fuit:

Deinceps de communi omnibus dicendum erit.

GB.
Digitized by Google

GENITIVUS COMMUNIS

Propria pagorum, caſtellorum, urbium, primæ vel ſecundæ declinationis, ponuntur in genitivo poſt quodvis verbum, ſi interrogatio fiat per adverbium ubi.

Cic. ad Att. *Ignatius Romæ eſt.* Idem ad Q. Fr. *Accepi literas tuas datas Placentiæ.* Idem Attic. *Veteranos, quique Caſilini & Culatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam.*

Propria ſequuntur appellativa quatuor: Humi, belli, militiæ, domi, quorum poſtremo adjungi poſſunt adjectiva meæ, tuæ, ſuæ, noſtræ, veſtræ, alienæ.

Cic. 5. Tuſc. *Theodori nihil refert humine an ſublime putreſcat.* Id. de offic. *Quibuſcunque rebus*
lib. 4. *vel belli vel domi poterunt, Remp augeat.* Saluſt.
lib. 2. *Domi militiaque boni mores celebrantur.* Cic. ad
in Car. Marc. *Nonne mavis ſine periculo domi tuæ eſſe, quàm cum periculo alienæ.*

Si propria tamen fuerint tertiæ declinationis, vel pluralis numeri ſexto caſu utendum eſt.
lib. 11. Cic. de divin. *Babylone paucis diebus Alexander*
lib. 16. *eſt mortuus.* Id. Tyroni.: *Si ſtatim naviges nos*
lib. 13. *Leucade conſequêre.* Id. Sulpitio: *Commendo tibi*
lib. 16. *majorem in modum domum ejus, quæ eſt Sicyone.*
lib. 9. Id. Attic. *Malo cum timore domi eſſe, quàm ſine timore Athenis tuis.* Id. ad eundem: *Lentulum noſtrum ſcis Puteolis eſſe.* Id. pro Cor. *Unum objicitur natum eſſe Gadibus, quod nemo negat.*

APPENDICES
Primi generis.

Dativo Ruri, vel oblativo Rure, utimur, cum hujus eſt loci.

Plaut. Bach. *Si illi ſunt virgæ ruri, at mihi tergum domi eſt.* Liv. *Morientem rure, eo ipſo die ſepelire ſe juſſiſſe ferunt.* *lib.* 8. *Dec.* 4.

APPENDIX
Secundi generis.

Domi etiam cum ſubſtantivis copulatur.

Cic. *Clodius deprehenſus domi Cæſaris.* *ad Att.*

Idem præpoſitionem addit. *ad Att.*

Cum in domo Cæſaris quondam unus vir fuerit. *lib.* 2.

APPENDICES
Tertii generis.

I.

Humi jungitur interdum verbis ſignificantibus motum. Plin. *intentos ingentes artus defigant humi.* Virg. *Nec prius atſiſtit quam ſeptem ingentia victor Corpora fundat humi.* *lib.* 8. *c.* 8 *Æneid.* 1

II.

Forte nomina Tibur aut Anxur apud veteres E. & I & literis ablativis terminabant. Legimus enim utroq; modo. Cic. *Nunc demum deſcribo tis literis quas mihi miſiſti convento Antonio Tiburi.* Liv. *Tiburi haud multò anno mortuo.* *ad Att. lib.* 1. *Bel. Pū.*

III.

Quidam dubitant dicendum ne ſit.

Marcellus natus eſt Romæ nobilis urbis, an nobili urbe.

Cicero poſteriore modo loquitur. *Proverb.*

Natus eſt Antiochiæ loco nobili & celebri quondam urbe.

Idem

Idem præpoſitionem In interponit.

Pro Rab. *Neapoli in celeberrimo oppido.* Item: *Alba in nobis op-*

Phil. 4 *portuna.*

l. 2. c 96. Plin. ferè ablati[illegible]o utitur, cum præpoſitione.

Nam oppido [illegible]. Idem *in [illegible] Perſina.*

Si verò per adverbium Quo fiat interrogatio, accuſandi caſu efferunt, cujuſcunque ſint declinationis ac numeri, ut: Quo is? Romam, Brunduſium, Carthaginem, Athenas, Delphos, Gades, Rus, domum.

lib. 11. Cic. ad Att. *Epiſtolas Catinam, Tauromenum: Sy-*

l. 8. c. 16. *racuſas commodius mittere potero.* Plin. *Sueſſam Pometiam illa tempeſtate florentiſſimam deportata eſt.* Ter. Heaut. *Domum revertor mœſtus.* Id. Eunuch. *Rus ibo.* Cic. pro Arch. *Eum domum ſuam receperunt.*

APPENDICES
Tertii generis.

I.

Verba nunciandi, dandi, latentem modum adſignificant.

4. in Ver. Cic. *Res ab omni conventu cognita celeriter domum*

ad Brut. *nuntiatur.*

lib. 19. Item. *Romam nunciatum eſt.*

II.

Propria item Rus & domus numero multitudinis

lib. 31. ab etiam adjectiva ſine præpoſitione admittunt.

urbe l. 2. Juſt. *Appropinquante veſpere equum conſcendit, & rus urbanum contendit.* Liv. *Vt ambo exercitus Veiens & Tarquinienſis ſuas abirent domos.*

Rus numero multitudinis nondum legi ſine præpoſitione.

Dec. 4. Liv. *Iam ubi delapſi domos & in rura veſtra ieritis.*

Saluſtius domum regiam dixit.

Iug. Sal. *Domum regiam comparant.*

Si

Si per undè, vel quà fiat interrogatio, ablativo utimur.

Undè redis? Româ, Carthagine, Athenis, Delphis, Gadibus, Rure, domo. Qua iter feciſti? Româ, Brunduſio, &c Cic. Att. *Accepi Româ ſine tua*
epiſtola faſciculum literarum. Id Att. *Hac ſuper* l.4.c.10.
re ſcribam ad te Rhegio. Terrent. Eunuch. *Video* l.13.c.15.
rure redeuntem ſenem. Cic. ad Att. *Iter Laodicea faciebam, cùm has litteras dabam in caſtra.*

APPENDICES
Tertii generis.

I.

Propria ſæpè præpoſitionem accipiunt, maximè ſi quæſtio fit per undè, aut quò.

Cic ad Att. *A Brunduſio nulla adhuc fama venerat.*
Idem ad eundem: *Navis & in Cajeta parata nobis &* lib. 9.
Brunduſii. Idem de Senect. *Adoleſcentulus miles pro-* lib. 8.
fectus ſum ad Capuam. Liv. *Interim ab Roma legatos* Bell.Pũ.
veniſſe nunciatum eſt. Cæſar. *Complures præterea na-*
ves longas in Hiſpali faciendas curavit Plin. ad Ca- 1.
leſtrum. *Proconſul Provinciam Bæticam per Titinum* Bell.civ.
eſt petiturus. lib.7.c.7.

Domus nonnunquam etiam præpoſitiones admittit
Plin. *Ille in domo mea ſæpè convaluit.* Liv. *Ab domo* 4. Dec.
venerunt Cic. *Ad quem è domo Cæſaris tam multa de-* Phil. 2.
lata ſunt. Sen. *Ego in domum veſtram intrabo.* 2. cont.

II.

Non ſolùm verba, ſed etiam nomina interdum caſus communes habent.

Cæſ. *Frumentum omne præterquam quod ſecum portaturi erant comburunt, domum reditionis ſpe ſublata,* Bel.Gal.
paratiores ad omnia pericula ſubeunda eſſent. Cic. 1.Phil.4.
Cùm capitalem & peſtiferum Brunduſio Marci Antonij reditum timeremus.

Nomi-

Nomina Inſularum, Regionum, Provinciarum, cæterorum denique locorum, præpoſitionem ferè deſiderant..

lib. 4. Cic. in Verr. *Ex Sicilia in Africam gradus imperii factus eſt Romanis.* Idem in Att. *Promitto*
lib 9. *tibi ſi valebis, tegulam illum nullam in Italia*
lib. 3. *relicturum.* Id. ad eundem: *Ego te in Tuſculano expectabo.*

APPENDICES Tertii generis.

I.

Propriis majorum locorum interdum detrahitur præpoſitio, præcipuè à Poetis & Hiſtoricis.

Æneid. 8 Virg. *Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit.* Liv.
Bel. Ma. *Ingreſſi rurſus iter per Cherſoneſum; Helleſpontum per-*
7. *venit.* Tacit. *Germanicus Ægyptum proficiſcitur.* Idem *Germanicus Ægypti remeans.* Valer. Max. *M. Bibulus*
l. 1. lib. 4 *duos egregiæ indolis filios ſuos à Gabinianis militibus Ægy-*
c. 1. *pti occiſos cognovit.* Cæſ. *Cæſar cum audiſſet Pompe-*
Bel. Ci. 1. *jum Cypri viſum &c.* Cic. pro domo ſua *M. Cato in-viſus quaſi per beneficium Cyprum relegatur.*

II.

Cætera appellativa ablativo ſine præpoſitione eleganter efferuntur, quæ alioquin accuſativo cum præpoſitione per efferenda eſſent.

Cic. Att. *Nunc iter conficiebamus æſtuosâ & pulverulentâ viâ.* Id. in Verrem. *Multa hìc à C. Verre in Sicilia terra marique facta ſunt.* Idem in Planc. *Iter à Vibone Brundusium terra petere contendi.*

Vagandi verbum hanc imprimis elegantiam ſibi vendicat.

Phil. 10. Idem in M Anton. *Nunc tota Aſia vagatur, volitat*
lib. 1. *ut Rex.* Idem Attic. *Quam quidem ego ſpero jam tutò vel ſolùm tota urbe vagari poſſit.* Id. pro Fontejo. *Hi contra vagantur læti atque erecti paſſim toto foro.*

III.

III.

Cum petendi verbum proficiſci, vel adire adhibetur, non eſt locus præpoſitioni.

Plin. *Proconſul provinciam Bæticam per Ticinum eſt petiturus.* *Ad Col. lib. 7.*

DATIVUS COMMUNIS.

Quodvis verbum admittit Dativum ejus perſonæ, in cujus gratiam, commodum, vel incommodum aliquid fit.

Plaut. Mili. *Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metis.* Cic. Att. *Liberos tuos cave cuiquam tradas, nobis eos, quemadmodum ſcribis conſerva.* Liv. *Magno illi ea cunctatio ſtetit.* *lib. 4. ab urb. 4*

ACCUSATIVUS COMMUNIS Temporis.

Tempus accuſativo vel ablativo caſu affertur, ſi per quam diu fiat interrogatio, ut: Quãdiu regnavit Romulus? Septem & triginta annos vel annis.

Liv. *Romulus ſeptem & triginta regnavit annos.* *ab urb. 1.* Suet. *Vixit annis viginti novem, & imperavit triennio & decem menſibus, diebuſque octo.* *in Cal. 4. c. 14.*

Sin verò per quando fiat interrogatio, ablativo utemur, ut: Quando datum eſt tibi hoc negotium? Anno ſuperiore.

Cic. de Aruſp. *Negotium Magiſtratibus datum anno ſuperiore.* Id. Tuſc. *Heroicis etiam ætatibus Vlyſſem & Neſtorem accepimus, & fuiſſe, & habitos eſſe ſapientes.*

APPENDICES
Primi generis.

Ablativus interdum intra ſignificat, ut: paucis diebus, biduo, triduo, pro intra paucos dies, intrà triduum.

lib. 1. Ad Q. Fr. Cic. *Diebus ſedecim abſolutè quatuor tragœdia.*
Ad At. 9. Idem *Biduo ſciemus.*

lib. 9.

ACCUSATIVUS COMMUNIS ſpatij.

Cuivis verbo apponi poteſt accuſativus, qui diſtantiam loci ſignificet.

lib. 6. Cic. ad Tiron. *Is locus eſt circa Laucadem ſtadi viginti.* Idem pro Dejor. *Negat ſe à te pedem diſceſſiſſe.* Liv. *Mille & ducentos paſſus ibi latitudo patet.* Idem: *Duo millia fermè & quadragintos paſſus ab hoſte poſuerunt caſtra.* Cic. pro Seſt. *Edixit ut ab urbe abeſſet millia paſſuum ducenta.*

Bel. Ma. 7. Ibid.

Interdum utuntur ablativo ſcriptores.

Bell. G. 1. ibid. Cæſar: *Ea die caſtra promovit, & milibus paſſuum ſex à Cæſaris ſub monte conſedit.* Id. *Ab exploratoribus certior factus eſt, Arioviſti copias à noſtris militibus paſſuum quatuor & viginti abeſſe.*

ABLATIVUS ABSOLUTUS.

Quibuslibet verbis addi poteſt ablativus abſolutè poſitus.

lib. 5. Cic. ad Att. *Quot auctore te velle cœpi, adjutore aſſequar.*
lib. 4. Id. ad eundem: *Scripſi hac ad te appoſita ſecunda menſa.*
lib. 3. Idem de leg. *Nobilium vita victuque mutato mores mutati civitatem puto.* Id. de claris Orat. *Ego cautius poſthac hiſtoriam, te audiente, attingam.*

AP-

APPENDICES
Primi generis.

Aliquando abſolutè ponitur participium præteriti temporis ſine nomine.

Liv. *Nondum comperto quam regionem hoſtes petiſſent.* Tac. *Audito caſtellum Luppia flumini oppoſitum obſideri.* Bell. Ma. lib. 2.

ABLATIVUS INSTRUMENTI,
Cauſæ, Modi, Actionis.

Quæ verba ablativum admittunt ſignificantem inſtrumentum.

Terent. Adelph. *Hiſce oculis egomet vidi.* Cic. in Vatinium: *Cùm iſtud iter Hiſpanienſe pedibus ferè confici ſoleat.* Id in Verr. *Sex lictores circũſiſtunt valẽtiſſimi, cadunt acerrimè virgis.*

Aut cauſam propter quam aliquid fit.

Id. ad Q. Fr. *Veſtrâ culpâ hæc acciderunt.* Id. in Brut. *Vereor ne amore videar plura quam fuerint in illo dicere.* Ter. Adelph. *Dolore ac miſeria tabeſcit.* Plin. *In Africa magna pars ferarum æſtate non bibunt inopia imbrium.* lib. 2. lib. 1. c. 6. 5.

Aut modum quo aliquid fit.

Cic. pro Mil. *Quonam modo id factum ferret civitas?* Idem in Senect. *Sapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo.* Id. pro Flacc. *Pacem maritimam ſumma virtute atque incredibili celeritate confecit.*

Modus actionis præpoſitionem, cum interdum deſiderat.

Cic. in Offic. *Ira procul abſit, cum qua nihil rectè fieri, nihil conſiderari poteſt.* Id de Orat. *Cum* lib. 15.

febri domum redit, dieque ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus.

ABLATIVUS EXCESSUS.

Cuivis verbo adjungi poteſt ablativus rei, quâ exceſſus ſignificatur.

lib. 2. Cic. de cl. or. *P. Scipio omnes ſale facetiiſque ſuperabat.* Id. de orat. *Lepore & humanitate omnibus præſtitit Socrates.* Ter. Phorm. *Incredibile eſt, quantò herum anteeo ſapientia.* Saluſt. *Quum omnes gloriâ anteierit, omnibus tamen charus fuit.*
Iug.

ABLATIVUS PRETII.

II.

Quælibet verba ablativum admittunt ſignificantem pretium.

Ut: *Senatus tritici modium tribus denariis æſtimavit. Magno has ædes ædificavi. Donatus docet literas minâ in ſingulos menſes. Mina valet centum drachmis Atticis. Si calis modius proximo*
lib. 7. *anno ternis ſeſterciis fuit: ſummum quaternis.* Cic. in Verr. *Doceas oportet aliquo in loco, Sicilia Prætore Verre, ternis denariis tritici modium fuiſſe.*
lib. 5. Plin. *Viginti talentis unam orationē Socratis ven-*
l. 7. c. 30. *didit.* Liv. *Multorum ſanguine & vulneribus ea*
de Pun. *pœnis Victoria ſtetit.* Id. *Magno illi ea cunctatio ſtetit.*

EXCEPTIO.

His tamen genitivis exceptis: Tanti, tantidem, quanti, quanticunque pluris minoris.
lib. 3. Cic. de offic. *Emit homo cupidus tanti quanti vo-*
lib. 3. *luit.* Id. ib. *Vendo meum non pluris, quam cæteri, fortaſſe*

fortaſſe etiam minoris. Id. in Verr. *Quanti frumenti ſit, conſidera, video eſſe binis ſeſtertiis.* Seneca. *Tantidem redemi patrem, quanti à te redemptus ſum.* *1. Conſ.*

APPENDICES
Primi generis.
I.

Genitivi, tanti, quanti, quanticunque, minoris in ablativum tranſeunt, ſi addantur ſubſtantiva.

Liv. *Hic miles magis placuit, cum pretio minori redimendi captivos copia fieret.* *Bell.Pū.*

II.

Verbum valeo, accuſativum vel ablativum amat.

Plin. *Aureus nummus poſt annū 62. percuſſus eſt, quàm argēteus, ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis* Vat. *Denarij, quod denos æris valebant, quinarii quod quinos.* *l. 33, c. 3.* *lib. 4.*

Huc etiam ſpectat ſum pro valeo.

Cic. *Cùm eſſet frumentum ſeſtertiis binis.* *3. In*

CONSTRUCTIO
Verbi infiniti.

Verba infinita eoſdem poſt ſe caſus poſtulant, quos finita.

Cic. Tyr. *Malo te paulo poſt valentem quàm ſtatim imbecillum videre.* Id ad Q. Fr. *Quod ſcribis te à Cæſare quotidie plus diligi immortaliter gaudeo.* Id. ad Att. *Vellem te in principio audiviſſe amantiſſimè me admonentem.* *lib. 6.* *lib. 3.*

APPENDICES

Primi generis.

I.

Præteritum perfectum paſſivum, & pluſquamperfectum, ex infinito, eſſe vel fuiſſe, atque participio præteriti temporis ſupplentur mutatis numeris & generibus pro re, de qua agitur.

Cic. in Ant. *P. Clodium meo conſilio interfectum eſſe dixiſti* Id. pro Clu. *Injuriam ab hujus familia factam eſſe dixiſti.*

Verbum interdum omittitur.

Id. pro Mil. *Negant lucem fas eſſe ei intueri, qui à ſe hominem occiſum fateatur.*

II.

FUTURUM INFINITUM

Activum.

Fore, futurum infinitum tantùm in uſu eſt, jungiturque cum omnibus generibus & utroque numero.

lib. 1. Cic. ad Lent. *Vehementer confidit his literis ſe a-*
Ibid. *pud te gratioſum fore.* Id. ad eundem: *Spero nobis*
lib. 8. *hanc conjunctionem voluptati fore.* Id. Attic. *Ni-*
lib. 7. *hil arbitror fore quod reprehendas.* Id. ad eundem: *Dionyſio, dum exiſtimabam vagos nos fore, nolui moleſtus eſſe.*

Cætera, quibus priſci uſi ſunt jam exoleverunt, pro quibus infinito eſſe vel fuiſſe, prout oratio poſtulat, & participio in rus utimur.

Cic. Att. *Illum eum futurum eſſe puto qui eſſe debet*. Id. de Orat. *Verè mihi videor eſſe facturus*. Id. in M. Anton. *Id ſe facturum eſſe aſſeveravit*. Id. in Verr. *Non moleſtè fero me laboris mei, vos virtutis noſtra fructum fuiſſe laturos*. Id. Marc. *Eum magis communem cenſemus in victoria futurum fuiſſe, quàm incertis in rebus fuiſſet*. Id. in M. Anton. *Dixit aliam ſententiam ſe dicturum ſuiſſe*. lib. 6. lib. 1. Phil. 2. lib. 3. lib. 4. Phil. 8.

Infinitum eſſe frequenter deſideratur.

Cic. Att. *Ego bellum fœdiſſimum futurum puto*. lib. 2.
Id. ad Ter. *Celerius opinione venturus dicitur*. lib. 14.
Id. ad Att. *Vix ſpero hunc mihi veniam daturum*. lib. 9.
Id. ad App. *Scribit meas literas maximum apud te pondus habituras*. lib. 3.

III.

FUTURUM INFINITUM Paſſivum.

Futurum paſſivum ex infinito iri, & voce ſimili, ſupino in um conſtat, ut: Amatum iri, omnibuſque generibus atque numero attribuitur.

Cic. ad Att. *Pompejus affirmat non eſſe periculũ, adjurat: addit etiam ſe prius occiſum iri ab eo quã me violatum iri*. Id. in eundem: *Brutum ut ſcribis, viſum iri à me puto*. Id. de Div. *Vaticinatus maleſactum iri minus triginta diebus Graciam ſanguine*. Ter. in Prol. Hecyr. *Interea rumor venit datum iri gladiatores*. Quint. *Reus parricidii damnatum iri videbitur*. Plaut. in Rudente. *Mihi iſthac videtur prada, pradatum iri*. lib. 2. lib. 15. lib. 1. lib. 9. c. 2 lib. 3.

IV.

RATIO SUPPLENDI FUTURUM infinitum, maximè cum verba Supinis carent.

Fore ut, futurum ut, verbis, Spero, puto, affirmo, ſuſpicor, & his ſimilibus juncta, eleganter futurum infinitum tam agendi, quàm patiendi modi ſupplent.

1. Tuſc. Cic. *Spero fore, ut contingat in nobis.* Id. ad Att.
lib. 16. *Nunquam putavi fore, ut à te ſupplex venirem,*
lib 3. Id. Lent. *Valde ſuſpicor fore, ut infrangatur ho-*
Proœ. 2. *miñ improbitas.* Sen. *Scio futurum, ut aditis ejus*
controv. *ſententiis cupiatis multas audire.* Id. *Nunquam*
L. 2. cont. *putavi futurum ut pater meus liberos odiſſet.*

Hac circuitione ſubvenitur verbis, quæ ſupinis carent.

Lit. *Puto fore, ut brevi his incommodis medeare. affirmo fore, ut paucis diebus orationem pro Marcello ediſcas. Suſpicor fore, ut juri civili potius quàm Philoſophiæ ſtudeas. Polliceor ſore ut non multo poſt intimis ſenſibus angaris, quando ſaluberrima potentis conſilia negligis.*

V.

CIRCUITIO EX PRÆTERITO & Futuro miſta.

Circuitio illa futurum fuiſſe, ex præterito, & futuro miſta non minimum orationi affert ornamentum.

Be. civ. 3 Cæſ. *Niſi eo tempore quidam nuntii de Cæſaris victoria per diſpoſitos equites eſſent allati, exiſtimabat pleri-*

plerique futurum fuiſſe, ut oppidum amitteretur. Cic. de divin. *An tu cenſes ullam anum tam deliram futuram fuiſſe, ut ſomnis crederet, niſi iſta caſu nonnunquã recurrerẽt?* Id. in M. Ant. *Dixit aliam ſententiam ſe dicturum fuiſſe, eamque ſe ac repub. dignam, niſi propinquitate impediretur.*

Hæc quidem circuitio neceſſaria eſt, cum verba ſupinis deſtituuntur, ut: *affirmabant omnes futurũ fuiſſe, ut frater tuus brevi litteras Græcas diſceret, niſi lateris dolore conſumptus fuiſſet.*

APPENDICES Tertij generis.

I.

Fuit priſcis temporibus futurum infiniti modi, tum ſyllaba finitum, quod omnibus generibus, & utroque numero non ſecus ac fortè accommodabatur.

Cajus Gacchus *Credo ego inimices meos hoc dicturum*, Valer. Antias: *Aruſpices dixerunt omnia ex ſententia proceſſurum*, Labet. *Non putavi eam hoc dicturum.*

II.

Fuit & aliud futurum, priſci uſitatum, aſſere ſyllabis terminatum

Plaut. *habe bonum animum, nam illum confido Dominum in his diebus me reconſiliaſcere* Idem. *Hercule credo te facile impetraſſere.* Stich. in Mil.

Futurum hoc à futuro conjunctivi modi, reconſiliaſſo, impetraſſo fit ut priſci Latini dicebant.

Pla *Si me irritaſſis, hodie lumbifragium hinc auferes.* Amp.

INFINITA CUM QUIBUS VERBIS copulentur.

Verbis Cœpi, ſoleo, debeo, cupio, adduntur infinita, multiſque aliis, maximè iis, quibus voluntas explicari ſolet.

lib. 16. Cic. pro Roſc. Com. *Qui mentiri ſolet pejerari conſuevit.* Idem Tyron. *Omnes cupimus, ego imprimis, quamprimum te videre.*

APPENDIX
Primi generis.

Amphibologia, accuſativi geminatione factâ ſolvitur ablativo, ut: *Milonem audivi occidiſſe Clodium*, ambigua eſt oratio : dubium enim eſt, uter ab altero fuerit occiſus.

Muta alterum accuſativum in ablativum ſic: *A Milone audivi occiſum eſſe Clodium*, ſublata eſt omnis dubitatio.

APPENDICES
Tertii generis.

Infinita nonnunquam cum verbis motus nominibuſque ſubſtantivis more Græcorum conjunguntur. Ter. Hecyta. *Vultiſne eamus viſere.* Cic. Trop. *Sed jam tempus eſt ad id, quod inſtituimus, accedere.*

Adduntur & nominibus adjectivis, maximè apud Poetas, unde ſunt illa: *Paratus reſpondere, cantare, certare, certus ire, ſuccurrere, mori.*

GERUNDIA.

Gerundia quæ paſſionem non ſignificant, caſus ſuorum verborum admittunt, ut: Tempus obliviſcendi injuriam, ignoſcendi inimicis, coërcendi cupiditates, abſtinendi maledictis.

GERUNDIA IN DI.

Gerundiis in di adduntur ſubſtantiva, tempus, cauſa, ſtudinm, finis, & cætera ejuſdem generis.

Cic.

Cic. de Senect. *Equidem efferor ſtudio Patres veſtros, quos colui & dilexi videndi.* Id. Att. *Sit jam aut finis omninò deplorandi, aut moderatio.* lib. 10.

Item nonnulla adjectiva, ut; Peritus, imperitus, cupidus, inſuetus navigandi, ignarus dicendi. Cic. de Or. *Sum cupidus te audiendi.* lib. 2.

APPENDIX
Primi generis.

Gerundia in di interdum genitivum multitudinis pro accuſativo admittunt.

Cic. de Div. *Doleo tantum Stoicos noſtros Epicureis irridendi ſui facultatẽ dediſſe.* Plaut. Ca. *Nominandi tibi iſtorũ erit magis, quam edundi copia.* lib. 2.

IN DUM.

Gerundiis in dum præponuntur præpoſitiones ad, ob, inter. lib. 4.

Cic. 5. Tuſc. *Conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum.* Id. in Verr. *Quando illud flagitioſius, improbius, indignius, cũ à quo pecuniam ad abſolvendum acceperis, condemnare?* ab urb. 2.

Liv. *Ipſe inter ſpoliandum corpus hoſtis, veruto percuſſus, inter primam curationem expiravit.*

Præponitur & ante, ſed rarius. Georg.

Virg. --- *Numque ante domandum,*
Ingentes tollit animos.

IN DO.

Gerundia in do modò ſine præpoſitione in oratione adhibentur.

Cic. Att. *Plorando defeſſus ſum.*

Modò præpoſitiones, maximè; à, ab, de, in, aſſumunt.

2. Tuſc. lib. 1. Idem. *Ab invidendo autem rectè invidentia dici poteſt.* Id. Curion: *Etenim quis eſt tam in ſcribendo impiger, quàm ego.* Id. ad Att. *Tu quid cogites* lib. 8. *de tranſeundo in Epirum, ſcire ſanè velim.*

lib. 1. c. 5. Nonnunquam è vel ex cum pro. Plaut. Aul. *Heus ſenex pro vapulando hercle abs te mercedem petam.* Quintil. *Scribendi ratio conjuncta cum loquendo eſt.*

GERUNDIA PASSIVA.

Gerundia quæ paſſionem ſignificant, nullum poſt ſe caſum admittunt.

lib. 2. Quin. *Memoria excolendo ſicut alia omnia augetur.* lib. 13. Plin. *Rubens ferrum non eſt habile cudendo.* lib. 3. c. 6 Id. *Bituminata aut nitroſa utilis eſt bibēdo.* Saluſt. Iugur. *Pauca ſupra repetam, quo ad cognoſcendum omnia illuſtria magis magiſque in aperto ſint.*

RATIO VARIANDI Gerundia.

Gerundia quæ accuſativo gaudent, ferè elegantius more adjectivorum ad hunc modum efferuntur, ut: *Pompeius ſtudioſus fuit Rempublicam defendendi, civeſque ſervandi; Pompeius ſtudioſus fuit Reipublicæ defendendæ, civiumque ſervandorum.*

Ita ut Gerundii caſus maneat, ſervato tamen genere ac numero accuſativi.

Phil. 4. Cic. in Ant. *Princeps veſtræ libertatis defendēdæ ſemper fuit.* Id. Curioni: *Hoc quidquid attigi, nō* lib. 2. *feci inflammādi tui causâ, ſed teſtificandi amoris* ab urb. *mei.* Liv. *Interjecto deindè haud magno ſpatio*,

quod

quod vulneribus curandis ſupplendoque exercitui ſatis eſſet. Cic. Appio. *Animum tuum promptum & alacrem perſpexi ad defendendam Rempublicam.* Id. Trebonio : *Omne deſiderium litteris mittendis, accipiendiſque leniam.* Liv. *Prælia de occupando ponte crebra erant.* *lib. 3.* *Ab urb.*

PARTICIPALE VERBUM in Dum.

Verbum participale in dum, antecedente verbo ſubſtantivo, dativum poſtulat, omnibus verbis communem.

Livius: *Hic vobis vincendum, aut moriendum milites eſt.* *Bel.* Pun. *1.*

Præter dativum communem etiam caſum ſui verbi admittit.

Cic. *Tuo tibi judicio utendum.* Tibi, caſus eſt communis, tuo judicio, proprius eſt verbi.

APPENDIX Primi generis.

Si tamen caſus verbi fuerit accuſativus, mutabitur participale activum in paſſivum hoc modo: *Petendum eſt tibi pacem*: *Petenda eſt tibi pax. Timendum eſt nobis pœnas æternas: Timendæ ſunt nobis pœnæ æternæ.*

Priſci etiam activo uſi ſunt eum accuſativo. Lucr. *Æternas quoniã pœnas in morte timẽdum.*

Veteres imitatus eſt Virgilius; ut: *Alia*

lib.11. *Alia arma Latinis quærenda, aut pacem Trojano ab Rege petendum.*

SUPINA IN UM.

Supina in um amant verba, quæ motum adſignificant.

Ab urb.2. Ter. Phorm. *Percunctatum ibo*. Ter. Heaut. *Abi deambulatum*. Liv. *Coriolanus damnatus abſens in Volſcos exulatum abiit.*

Ante ſe nullum, poſt ſe ſuorum verborum caſus habent.

Bel.Gal.1 Cæſar. *Legatos ad Cæſarem mittunt rogatum auxilium.* Ter. Phorm. *Me ultrò accuſatum advenit.* Id. Enuch. *Nutricem accerſitum ivi.*

SUPINA IN U.

Supina in u, ferè paſſivæ ſignificationis ſunt ſine caſu, hærentque nominibus adjectivis.

lib. 2. Cic. Att. *Quod optimum factu videbitur facies.*
Phil.4. Idem in Ant. *O rem non modo viſu fœdam, ſed etiam auditu?*

PARTICIPIA.

Participia eoſdem caſus habent, quos verba, à quibus proficiſcuntur.

Ab.urb.1 *Pueri victoriam reportaturi non delectantur duodecim ſcruporum ludo.* Liv. *Ancus ingenti præda*
lib. 1. *potitus Romam rediit.* Cic. in Piſ. *Abjectum, contemptum, deſpectum à ceteris, à te ipſo deſperatum & relictum, adulantem omnes videre te volui, vidi.* Cic. Lent. *Totus eſt nunc ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus.*

APPENDICES

Primi generis.

Participia paſſiva præteriti & futuri temporis, maximè cum fiunt nomina, etiam dativo gaudent.

Cic. de Seneƈt. *Sperare videor, Scipionis amicitiam & Lælii notam poſteritati fore.* Ter. Andr. *Reſtat Chremes, qui mihi exorandus eſt.*

II.

Exoſus, peroſus, pertæſus, accuſativum petunt.

Curt. *Perſarum te veſtis & diſciplina delectat, patrios mores exoſus es.* Liv. *Plebs conſulum nomen haud ſecus quàm regum peroſa erat.* Suet. in Cæſ. *Quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quod nihil dum à ſe memorabile actum eſſet.* lib. 18. ab urb. c. 7.

PARTICIPIA FACTA NOMINA.

Participia in ans, & ens, interrogandi caſu gaudent, cum fiunt nomina.

Ter. in Phorm. *Heus liberalis eſt, & fugitans litium.* Cic. Att. *Boni cives amantes patriæ.* Saluſt. *Corpus patiens inediæ, algoris, ſupra quam cuiquã credibile eſt.* Cic. ad Q. Fr. *Fert graviter homo & mei amantiſſimus, & ſuæ dignitatis retinens, ſed apud te neque amicitia, neque jure valuiſſe.* lib. 9. in Bel. Gal. lib. 1.

Nonnulla etiam præteriti temporis, ut: conſultus, doctus.

Cic. in Ant. *Neque enim ille magis juris conſultus, quam juſtitiæ fuit.* Hor. *Doctus ſermonis utriuſq; linguæ* Sal. *Alieni appetens profuſus ſui.* Liv. *Servitutis, indignitatiſque homines expertos adverſus notum malum irritatos eſſe.* Phil. 9. Car. 3. Od. 8. Bel. Cat. Bel. Mac. 10.

APPENDICES
Primi generis.

I.

Participia præſentis præteritique temporis, cum nominum naturam induunt, more eorum comparantur.

lib. 1. Cic. Lent. *A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi, & cogitandi: uterque ad omnia Quinto Selicio, quo neq; prudentiorem quemquam ex tuis, neque fidem majorem eſſe judico,*
lib. 15. *neque amantiorem tui* Id. Tyron. *cum commodè*
lib. 2. *& per valetudinem, & per anni tempus naviga-*
lib. 5. *re poteris ad nos amantiſſimos tui veni.* Id. Att. *Nihil illo regno ſpoliatius, nihil rege egentius.* Id. in Verr. *Hac tu omnium mortalium profligatiſſime ac prudentiſſime cum ſcires, cum tanto periculo tuo fieri patere, atque concederes?*

II.

Participiis futuri temporis, addito verbo ſubſtantivo, eleganter utimur pro debere, vel oportere, ut: *Sum exſpectaturus fratrem.* Ter. Phorm. *Exſpectandus eſt mihi frater. Eram habiturus heri orationem. Habenda mihi erat heri oratio.* Cic. pro Font. *Orandus erit nobis amicus meus Eletorius, ut ſuos novos clientes à bello faciendo deterreat.*

APPENDICES
Tertii generis.

Eruditus cum genitivo nondum legi apud idoneos, ſed cum ablativo, quem caſum à verbo accepit.

Cic L. *Quidam Tarutius Firmanus familiaris veſter, imprimis Chaldaicis literis eruditus.* Idem. D. *Brutus erat cum literis, tum etiam Græcis, ut temporibus illis, eruditus.* *2. de div.* *In Brut.*

Doctus literis Latinis, Græcis eleganter dicitur, Idem. *Non tam in dicendo admirabilis, quam docti & Græcis literis & Latinis.* *In eodem*

Peritus, quod quidem à perio, priſco verbo deducunt, frequentiſſimè cum genitivo jungitur. Idem L. *Cælius juris valdè peritus.* Idem tamen ablativo uſus eſt. *Quis P. Gaviano ingenio prudentior jure peritior.* *In eodem*
Apud eundum & Cæſarem. *Vſu peritus* *pro Cluent.*
Hæc etiam interdum præpoſitionem, ad, cum accuſativo admittunt,
Cic. *Si vero fallaces ſunt permulti & leves, & diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditi.* Ter. *In eodem mihi videntur omnes ludo docti ad malitiam.* *Ad Q. Fr.* *Hecyra.*

CONSTRVCTIO TRANSITIVA PRONOMINIS.

GENITIVVS POST Demonſtrativa pronomina

PRonomina Demonſtrativa, cum ſubſtantivè ponuntur, patrium caſum admittunt. Cic. ad Cœlum: *Hoc ad te literarum.* Id. Orat. *Quoniam id temporis eſſe ſurgendum cenſeo.* Id. ad Att. *Res eſt eodem loci quo reliquiſti.* *lib. 2.* *lib. 2.* *lib. 1.*

APPENDIX
Primi generis.

Pronomen idem cum dativo apud Poetas reperitur.

Horat.

Horat. in arte Poët. *Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.*

Oratores verò ſic loquuntur.

lib. 2. Cic. de offic. *Peripatetici quondam iidem erant qui Academici.* Ex eodem in Or. *Sit igitur*
lib. 2. *hoc cognitum numeros oratorios eoſdem eſſe, qui ſunt poetici.* Idem de nat. Deor. *Dianam & Lunam eandem eſſe putant.*

GENITIVUS POST POSSESSIVA.

Poſſeſſiva, Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, loco genitivorum mis, tis, ſis, noſtrum, veſtrum, poſita, genitivum poſtulant.

lib. 15. Cic. ad Marcell. *Moleſtè fera me conſulem tuum ſtudium adoleſcentis perſpexiſſe, te meum, cùm id*
Phil. 2. *ætatis ſim, perſpicere non poſſe.* Id. in Marc. Ant.
Serm. 1. *Tuum hominis ſimplicis pectus vidimus.* Idem
Sat. 14. Att. *Non debes mirari, non poſſe me tanto dolori reſiſtere, ſolius enim meum peccatum corrigi non poteſt.* Hor. *Cùm mea non ſcripta legat, vulgo recitare timentis.*

GENITIVI, MEI, TUI,

Sui, Noſtri, Veſtri.

Verba participia, & nomina adjectiva, quæ patrium caſum poſtulant, genitivis, Mei, tui, ſui, noſtri, veſtri, gaudent.

lib. 3. Cic. Att. *Te rogo, ut quibus in rebus mei tui indigebunt, noſtris miſeriis ne deſis.* Id. pro Rab. Poſth. *Equitum Romanum veterem amicum ſuũ ſtudioſum, amantem, obſervantem ſui, labentem*
Orat. 4. *excepit.* Id. in Car. *Habetis ducem, memorem ve-*
Ad Att. *ſtri, oblitum ſui.* Cæſar. ad Cic. *Nihil enim mā-*
lib. 9. *lo, quam & me mei ſimilem eſſe, & illos ſui.*

EXCEPTIO.

Intereſt tamen & refert ablativos: Mea, tua, ſua, noſtra, veſtra, ſibi vindicarunt, quibus ablativis addi poſſunt genitivi: Unius, ſolius, ipſius, cæterique qui poſſeſſivis adduntur, ut: *Mea unius intereſt. Tua ſolius refert. Noſtra ipſorum intereſt vitia extirpare. Tua rempublicã adminiſtrantis intereſt ſemper vigilare.*

II. EXCEPTIO.

Nomina numeralia, partitiva, comparativa & ſuperlativa genitivos, noſtrùm, veſtrùm exigunt. Liv. *Imperium ſummum Romæ habebit qui veſtrûm primus, ô juvenes, oſculum matri tulerit.* *ab urb.*
Curt. *Nolo ſingulos veſtrûm excitare.* Cic. ad Q. *lib. 8.*
Fr. *Domus utriuſque noſtrûm ædificatur ſtrenue.* *lib. 2.*
Id. contra Rul. *Omnibus vobis, aut majori veſtrûm parti. Maximus natu veſtrûm.*

PRONOMINA POST.

Poſſeſſiva Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, cohærent cum ſubſtantivis genere, numero, caſu, cum poſſeſſio, vel actio ſignificatur. Ut: *Liber meus, ager tuus, ſtudium noſtrum, labor veſter.*

EXCEPTIO.

At ſi ſubſtantiva ſignificent partem aliquam generalem corporis, ſive animi, cujuſmodi ſunt: Pars, dimidium, aliquid, genitivis primitivorum utemur, ut:
Nullã partem mei amiſi, hoc eſt, non amiſi manũ, pedem, memoriam. Amiſiſtine quicquam tui? Cic. *lib. 5.*
de Fin. *Cui præpoſita eſt conſervatio ſui, neceſſe eſt*

 huic

[illegible] quoque ſui certiores eſſe, quo perfecti [illegible] neſſe. Terent. Adelph. Teignoſci quicquam [illegible] Quintil. Memoriam partem mei habent.

APPENDICES
Primi generis.

Subſtantiva, quibus ambigua eſt ſignificatio, ut amor, memoria, deſiderium, cura: itemque ſi poſſeſſionem, actionemve ſignificent, poſſeſſivis adhæreſcunt, ut: *amor meus, deſiderium meum*, quo amo deſideroque.

Sin paſſionem ſignificent, genitivos mei, tui, ſui, noſtri, veſtri, [illegible]. Ut *amor mei, deſiderium mei*, quo amor, deſiderorque.

Cic. [illegible] *Dionyſium [illegible] confectum deſiderio tui mi-* [illegible] Id. ad eundem [illegible] *tuam ſcito deſiderio* [illegible] *eſſe*. Id. ad Fam. *Me impulit tui* [illegible] Id. ad Q. Fr. *Nunc decedens relinque,* [illegible] *jucundiſſimam memoriā tui.* Quint. [illegible] *Matrem, inquit,* [illegible] *per has moriens commendo.*

Aliquando utrumque conjungitur.

Id. [illegible] *Non* [illegible] *debet, amor, vehementerque tui memoria* [illegible]. Id. Cornificio: *Grata* [illegible] *vehementer memoria noſtri tua.*

APPENDIX
Tertii generis.

Quæ cum poſſeſſio, vel actio ſignificatur, ferme [illegible] genitivo [illegible], Latinè con-

Contra poſſeſſivis. Priſci tamen Romani videntur ſecuti Græcorum morem,

Plaut. *Divorum labori, ego hominum parviſſem lubens, vei rogandi, & tui reſpondendi mihi.* Pſeudol.

RECIPROCA SUI, SIBI, SE.

Reciproco, Sui, ſibi, ſe, utimur, cùm tertia perſona tranſit in ſe ipſam, ut: Cæſar recordatur ſui, indulget ſibi, amat ſe, loquitur ſecum. Cic. de Fin. *Eorum hæc eſt querela, qui ſibi chari ſunt, ſeſeque diligunt.* Id. de nat. Deor. *Ipſe ſibi diſplicet.* lib. 5. lib. 1.

Et accedente altero verbo, ut: *Marcellus te Cæſar precatur, ut miſerearis ſui, ignoſcas ſibi; ſe in fidem ſuam ſuſcipias, ne ſe hoſtem exiſtimes.* Cic. in Orat. *Ne ipſe quidem ſuâ tantâ eloquentiâ mihi perſuaſiſſet; ut ſe dimitterem.* Id. pro ſexto Roſc. *Hūc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies noctesque ſtimulat ac pungit, ut evellatis poſtulat.* Id. Att. *Qui etiam à me petiverit, ut ſecum, & apud ſe eſſem quotidiè.*

APPENDICES
Tertii Generis.

I.

Utimur & ſui, ſibi, ſe, cùm intercedit obliquus tertiæ perſonæ, ad quem refertur reciprocum.

Cic. *Habetis autem memorem veſtri, oblitum ſui,* 4. Cat.

Quint. *Tu primum docuiſti filium ſibi non parcere.* Dec. 6

II.

Repetitur interdum reciprocum pronomen poſitum pro demonſtrativis Ipſe.

Cic. *Non enim à me emit, ſedulus quam jus ſuum ſibi venderet, ipſe poſſedit* Sen. *Multum ſibi dederis, etiamſi nihil dederis præter exemplum.* Phil. 2. de Conſ. In Com.

Quod Budæus docet fieri more Græcorum.

2. Tuſc. Idem. *Ab invidendo autem rectè invidentia dici*
lib. 1. *poteſt.* Id. Curion: *Etenim quis eſt tam in ſcribendo*
lib. 8. *impiger, quàm ego.* Id. ad Att. *Tu quid cogites de tranſeundo in Epirum, ſcire ſanè velim.*

lib. 1. c. 5. Nonnunquam è vel ex cum pro.
Plaut. Aul. *Heus ſenex pro vapulando hercle abs te mercedem petam.* Quintil. *Scribendi ratio conjuncta cum loquendo eſt.*

GERUNDIA PASSIVA.

Gerundia quæ paſſionem ſignificant, nullum poſt ſe caſum admittunt.

lib. 2. Quin. *Memoria excolendo ſicut alia omnia augetur.* Plin. *Rubens ferrum non eſt habile cudendo.*
lib. 13. Id. *Bituminata aut nitroſa utilis eſt bibēdo.* Saluſt.
lib. 3. c. 6 *Pauca ſupra repetam, quo ad cognoſcendum om-*
Iugur. *nia illuſtria magis magiſque in aperto ſint.*

RATIO VARIANDI Gerundia.

Gerundia quæ accuſativo gaudent, ferè elelegantius more adjectivorum ad hunc modum efferuntur, ut: *Pompeius ſtudioſus fuit Rempublicam defendendi, civeſque ſervandi; Pompejus ſtudioſus fuit Reipublicæ defendendæ, civiumque ſervandorum.*

Ita ut Gerundii caſus maneat, ſervato tamen genere ac numero accuſativi.

Phil. 4. Cic. in Ant. *Princeps veſtræ libertatis defendēdæ*
lib. 2. *ſemper fuit.* Id. Curioni: *Hoc quidquid attigi, nō feci inflammādi tui causâ, ſed teſtificandi amoris*
ab urb. *mei.* Liv. *Interjecto deindè haud magno ſpatio, quod*

quod vulneribus curandis ſupplendoque exercitui ſatis eſſet. Cic. Appio. *Animum tuum promptum & alacrem perſpexi ad defendendam Rempublicam*. Id. Trebonio : *Omne deſiderium litteris mittendis, accipiendiſque leniam*. Liv. *Prælia de occupando ponte crebra erant.* lib. 3. *Ab urb.*

PARTICIPALE VERBUM in Dum.

Verbum participale in dum, antecedente verbo ſubſtantivo, dativum poſtulat, omnibus verbis communem.

Livius: *Hic vobis vincendum, aut moriendum milites eſt.* Bel. pun. 1.

Præter dativum communem etiam caſum ſui verbi admittit.

Cic. *Tuo tibi judicio utendum*. Tibi, caſus eſt communis, tuo judicio, proprius eſt verbi.

APPENDIX Primi generis.

Si tamen caſus verbi fuerit accuſativus, mutabitur participale activum in paſſivum hoc modo: *Petendum eſt tibi pacem*: *Petenda eſt tibi pax. Timendum eſt nobis pœnas æternas: Timendæ ſunt nobis pœnæ æternæ.*

Priſci etiam activo uſi ſunt cum accuſativo. Lucr. *Æternas quoniã pœnas in morte timẽdum.*

Veteres imitatus eſt Virgilius; ut : *Alia*

lib.11. *Alia arma Latinis quærenda, aut pacem Trojano ab Rege petendum.*

SUPINA IN UM.

Supina in um amant verba, quæ motum adſignificant.

Ab urb.2. Ter. Phorm. *Percunctatum ibo.* Ter. Heaut. *Abi deambulatum.* Liv. *Coriolanus damnatus abſens in Volſcos exulatum abiit.*

Ante ſe nullum, poſt ſe ſuorum verborum caſus habent.

Bel.Gal.1 Cæſar. *Legatos ad Cæſarem mittunt rogatum auxilium.* Ter. Phorm. *Me ultrò accuſatum advenit.* Id. Enuch. *Nutricem accerſitum ivi.*

SUPINA IN U.

Supina in u, ferè paſſivæ ſignificationis ſunt ſine caſu, hærentque nominibus adjectivis.

lib. 2. Cic. Att. *Quod optimum factu videbitur facies.*

Phil.4. Idem in Ant. *O rem non modo viſu fœdam, ſed etiam auditu?*

PARTICIPIA.

Participia eoſdem caſus habent, quos verba, à quibus proficiſcuntur.

Ab.urb.1 *Pueri victoriam reportaturi non delectantur duodecim ſcruporum ludo.* Liv. *Ancus ingenti præda*

lib. 1. *potitus Romam redit.* Cic. in Piſ. *Abjectum, contemptum, deſpectum à ceteris, à te ipſo deſperatum & relictum, adulantem omnes videre te volui, vidi.* Cic. Lent. *Totus eſt nunc ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus.*

APPENDICES

Primi generis.

Parti-

Participia paſſiva præteriti & futuri temporis, maximè cum fiunt nomina, etiam dativo gaudent.

Cic. de Seneſt. *Sperare videor, Scipionis amicitiam & Lælii notam poſteritati fore.* Ter. Andr. *Reſtat Chremes, qui mihi exorandus eſt.*

II.

Exoſus, peroſus, pertæſus, accuſativum petunt.

Curt. *Perſarum te veſtis & diſciplina delectat, patrios mores exoſus es.* Liv. *Plebs conſulum nomen haud ſecus quàm regum peroſa erat.* Suet. in Cæſ. *Quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quod nihil dum à ſe memorabile actum eſſet.* lib. 18. ab urb. c. 7.

PARTICIPIA FACTA NOMINA.

Participia in ans, & ens, interrogandi caſu gaudent, cum fiunt nomina.

Ter. in Phorm. *Heus liberalis eſt, & fugitans litium.* Cic. Att. *Boni cives amantes patriæ.* Saluſt. *Corpus patiens inediæ, algoris, ſupra quam cuiquã credibile eſt.* Cic. ad Q. Fr. *Fert graviter homo & mei amantiſſimus, & ſuæ dignitatis retinens, ſed apud te neque amicitia, neque jure valuiſſe.* lib. 9. in Bel. Gal. lib. 1.

Nonnulla etiam præteriti temporis, ut: conſultus, doctus.

Cic. in Ant. *Neque enim ille magis juris conſultus, quam juſtitiæ fuit.* Hor. *Doctus ſermonis utriuſq; linguæ* Sal. *Alieni appetens profuſus ſui.* Liv. *Servitutis, indignitatiſque homines expertos adverſus notum malum irritatos eſſe.* Phil. 9. Car. 3. Od. 8. Bel. Cat. Bel. Ma. 10.

APPENDICES
Primi generis.

I.

Participia præſentis præteritique temporis, cùm nominum naturam induunt, more eorum comparantur.

lib. 1. Cic. Lent. *A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi, & cogitandi: uterque ad omnia Quinto Selicio, quo neq; prudentiorem quemquam ex tuis, neque fidem majorem eſſe judico,*
lib. 15. *neque amantiorem tui* Id. Tyron. *cum commodè*
lib. 2. *& per valetudinem, & per anni tempus naviga-*
lib. 5. *re poteris ad nos amantiſſimos tui veni.* Id. Att. *Nihil illo regno ſpoliatius, nihil rege egentius.* Id. in Verr. *Hæc tu omnium mortalium profligatiſſime ac prudentiſſime cum ſcires, cum tanto periculo tuo fieri patere, atque concederes?*

II.

Participiis futuri temporis, addito verbo ſubſtantivo, eleganter utimur pro debere, vel oportere, ut: *Sum exſpectaturus fratrem.* Ter. Phorm. *Exſpectandus eſt mihi frater. Eram habiturus heri orationem. Habenda mihi erat heri oratio.* Cic. pro Font. *Orandus erit nobis amicus meus Eletorius, ut ſuos novos clientes à bello faciendo deterreat.*

APPENDICES
Tertii generis.

Eruditus cum genitivo nondum legi apud idoneos, ſed cum ablativo, quem caſum à verbo accepit.

Cic.

Cic L. *Quidam Tazutius Firmanus familiaris veſter imprimis Chaldaicis literis eruditus.* Idem. D. *Brutus erat cum literis, tum etiam Græcis, ut temporibus illis, eruditus.* 2. de div. In Brut.

Doctus literis Latinis, Græcis eleganter dicitur. Idem. *Non tam in dicendo admirabilis, quam docti & Græcis literis & Latinis.* In eodem

Peritus, quod quidem à perio, priſco verbo deducunt, frequentiſſimè cum genitivo jungitur. Idem L. *Cælius juris valdè peritus.*

Idem tamen ablativo uſus eſt. *Quis P. Gaviano ingenio prudentior jure peritior.* In eodem

Apud eundem & Cæſarem. *Vſu peritus* pro Cluent.

Hæc etiam interdum præpoſitionem, ad, cum accuſativo admittunt.

Cic. *Si vero fallaces ſunt permulti & leves, & diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditi.* Ter. *In eo dem mihi videntur omnes ludo docti ad malitiam.* Ad Q. Fr. Hecyra.

CONSTRVCTIO TRANSITIVA PRONOMINIS.

GENITIVVS POST Demonſtrativa pronomina

PRonomina Demonſtrativa, cum ſubſtantivè ponuntur, patrium caſum admittunt. Cic. ad Cœlum: *Hoc ad te literarum.* Id. Orat. lib. 2. *Quoniam id temporis eſſe ſurgendum cenſeo.* Id. lib. 2. ad Att. *Res eſt eodem loci quo reliquiſti.* lib. 1.

APPENDIX

Primi generis.

Pronomen idem cum dativo apud Poetas reperitur.

Horat.

Horat. in arte Poët. *Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.*

Oratores verò ſic loquuntur.

lib. 2. Cic. de offic. *Peripatetici quondam iidem erant qui Academici.* Ex eodem in Or. *Sit igitur*
lib. 2. *hoc cognitum numeros oratorios eoſdem eſſe, qui ſunt poetici.* Idem de nat. Deor. *Dianam & Lunam eandem eſſe putant.*

GENITIVUS POST POSSESSIVA.

Poſſeſſiva, Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, loco genitivorum mis, tis, ſis, noſtrum, veſtrum, poſita, genitivum poſtulant.

lib. 15. Cic. ad Marcell. *Moleſtè fero me conſulem tuum ſtudium adoleſcentis perſpexiſſe, te meum, cùm id*
Phil. 2. *ætatis ſim, perſpicere non poſſe.* Id. in Marc. Ant.
Serm. 1. *Tuum hominis ſimplicis pectus vidimus.* Idem
Sat. 14. Att. *Non debes mirari, non poſſe me tanto dolori reſiſtere, ſolius enim meum peccatum corrigi non poteſt.* Hor. *Cùm mea non ſcripta legat, vulgo recitare timentis.*

GENITIVI, MEI, TUI, Sui, Noſtri, Veſtri.

Verba participia, & nomina adjectiva, quæ patrium caſum poſtulant, genitivis, Mei, tui, ſui, noſtri, veſtri, gaudent.

lib. 3. Cic. Att. *Te rogo, ut quibus in rebus mei tui indigebunt, noſtris miſeriis ne deſis.* Id. pro Rab. Poſth. *Equitum Romanum veterem amicum ſuū ſtudioſum, amantem, obſervantem ſui, labentem*
Orat. 4. *excepit.* Id. in Car. *Habetis ducem, memorem ve-*
Ad Att. *ſtri, oblitum ſui.* Cæſar. ad Cic. *Nihil enim mā-*
lib. 9. *lo, quam & me mei ſimilem eſſe, & illos ſui.*

EXCEPTIO.

Intereſt tamen & refert ablativos: Mea, tua, ſua, noſtra, veſtra, ſibi vindicarunt, quibus ablativis addi poſſunt genitivi: Unius, ſolius, ipſius, cæterique qui poſſeſſivis adduntur, ut: *Mea unius intereſt. Tua ſolius refert. Noſtra ipſorum intereſt vitia extirpare. Tua rempublicã adminiſtrantis intereſt ſemper vigilare.*

II. EXCEPTIO.

Nomina numeralia, partitiva, comparativa & ſuperlativa genitivos, noſtrùm, veſtrùm exigunt. Liv. *Imperium ſummum Romæ habebit qui veſtrùm primus, ô juvenes, oſculum matri tulerit.* *ab urb.*
Curt. *Nolo ſingulos veſtrùm excitare.* Cic. ad Q. *lib. 8.*
Fr. *Domus utriuſque noſtrùm ædificatur ſtrenue.* *lib. 2.*
Id. contra Rul. *Omnibus vobis, aut majori veſtrùm parti. Maximus natu veſtrùm.*

PRONOMINA POST.

Poſſeſſiva Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, cohærent cum ſubſtantivis genere, numero, caſu, cum poſſeſſio, vel actio ſignificatur. Ut: *Liber meus, ager tuus, ſtudium noſtrum, labor veſter.*

EXCEPTIO.

At ſi ſubſtantiva ſignificent partem aliquam generalem corporis, ſive animi, cujuſmodi ſunt: Pars, dimidium, aliquid, genitivis primitivorum utemur, ut:
Nullã partem mei amiſi, hoc eſt, non amiſi manũ, pedem, memoriam. Amiſiſtine quicquam tui? Cic. *lib. 5.*
de Fin. *Cui propoſita eſt conſervatio ſui, neceſſe eſt*

huic partes quoque ſui certiores eſſe, quo perfectiores ſint. Terent. Adelph. *Tetigine tui quicquam?*
l. 7. c. 3. Quintil. *Minimam partem mei habent.*

APPENDICES
Primi generis.

Subſtantiva, quibus ambigua eſt ſignificatio, ut charitas, amor, memoria, deſiderium, cura: itemque ſi poſſeſſionem, actionemve ſignificant, poſſeſſivis adhæreſcunt, ut: *amor meus, deſiderium meum*, quo, amo deſideroque.

Sin paſſionem ſignificent, genitivos mei, tui, ſui, noſtri, veſtri, flagitant. Ut *amor mei, deſiderium mei*, quo amor, deſiderorque.
lib. 7. Cic. Att. *Dionyſium flagrantem deſiderio tui miſi ad te.*
lib. 1. Id. ad eundem. *Aviam tuam ſcito deſiderio tui mortuum eſſe.* Id. ad Plan. *Me impulit tui*
lib. 9. *charitas.* Id. ad Q. Fr. *Nunc decedens relinque, quaſo quam jucundiſſimam memoriã tui.* Quint. *Poſtquam mei cura diſceſſerat, Matrem, inquit, tibi per hac merita commendo.*

Aliquando utrumque conjungitur.
lib. 13. Id. Att. *Nicias te, ut debet, amat, vehementerque*
lib. 12. *tui memoriâ delectatur.* Id. Cornificio: *Grata mihi eſt vehementer memoria noſtri tua.*

APPENDIX
Tertii generis.

Græci cum poſſeſſio, vel actio ſignificatur, fermè utuntur genitivis primitivorum, πατήρ μου, Latinè con-

Digitized by Google

Contra poſſeſſivis. Priſci tamen Romani videntur ſecuti Græcorum morem.

Plaut. *Divorum labori, ego hominum paruiſſem lubens, mei rogandi, & tui reſpondendi mihi.* *Pſeudol.*

RECIPROCA SUI, SIBI, SE.

Reciproco, Sui, ſibi, ſe, utimur, cùm tertia perſona tranſit in ſe ipſam, ut: Cæſar recordatur ſui, indulget ſibi, amat ſe, loquitur ſecum. Cic. de Fin. *Eorum hæc eſt querela, qui ſibi chari ſunt, ſeſeque diligunt.* *lib. 5.* Id. de nat. Deor. *Ipſe ſibi diſplicet.* *lib. 1.*

Et accedente altero verbo, ut:

Marcellus te Cæſar precatur, ut miſerearis ſui, ignoſcas ſibi; ſe in fidem ſuam ſuſcipias, ne ſe hoſtem exiſtimes. Cic. in Orat. *Ne ipſe quidem ſuâ tantâ eloquentiâ mihi perſuaſiſſet; ut ſe dimitterem.* Id. pro ſexto Roſc. *Hũc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies noctesque ſtimulat ac pungit, ut evellatis poſtulat.* Id. Att. *Qui etiam à me petierit, ut ſecum, & apud ſe eſſem quotidiè.*

APPENDICES Tertii Generis.

I.

Utimur & ſui, ſibi, ſe, cùm intercedit obliquus tertiæ perſonæ, ad quem refertur reciprocum.

Cic. *Habetis autem memorem veſtri, oblitum ſui.* *4. Cat.*

Quint. *Tu primum docuiſti filium ſibi non parcere.* *Dec. 6*

II.

Repetitur interdum reciprocum pronomen poſitum pro demonſtrativis Ipſe.

Cic. *Non enim à me emit, ſedulus quam jus ſuum ſibi venderet, ipſe poſſedit* *Phil. 2.* Sen. *Multum ſibi dederis, etiamſi nihil dederis præter exemplum.* *de Conſ.* *In Com.*

Quod Budæus docet fieri more Græcorum.

III.

Utuntur aliquando Scriptores, accedente altero verbo, demonſtrativis pro reciprocis,

Decl. 3. Quin. *Neque ignoravit quæ manerent eum pericula, eum pro* ſe eidem. *Quapropter ille non petit, ut eum miſe-*
Decl. 1. *rum puteus, niſi & innocens fuerit, pro* ſe.

RECIPROCUM SUUS.

Reciproco Suus utimur, cum tertia perſona tranſit in rem à ſe poſſeſſam, ut: *Cicero recordatur Tyronis liberti ſui, indulget liberis ſuis, defendit ſuos clientes, ſcripſit hanc epiſtolam manu ſuâ.*
lib. 5. Cic. in Verr. *Ajebat multa ſibi opus eſſe, multa*
lib. 2. *canibus ſuis.* Id. de Orat. *Si feræ partus ſuos diligant, quâ nos in liberos indulgentiâ eſſe debemus.*

Et accedente altero verbo, ut:

Timet Pompejus, ne à ſuis veteranis deſeratur.
Rogat te Cæſar, ut ſuas partes ſequaris.

APPENDIX
Primi generis.

Utimur præterea reciproco Suus, cùm res poſſeſſa in poſſeſſorem tranſit.

Lib. 9. Cic. Att. *Ulciſcentur illam mores ſui.* Id. de A-
Lib. 10. ruſ. *Sua concio riſit hominem.* Id. pro Seſt. *Hunc ſui cives è civitate ejecerunt.* Id. Att. *Indulſit illi quidem ſuus pater ſemper.*

APPENDIX
Tertii generis.

Utimur etiam Suus, cùm additur alter obliquus tertiæ perſonæ, ad quem refertur poſſeſſio, ut: Percuſſiſti eum ſuo gladio.

Adelph. Terent. *Suo ſibi hunc gladio jugulo.*

PRÆ-

PRÆPOSITIONVM CONSTRUCTIO.

VErba abſoluta & tranſitiva Præpoſitionum beneficio in caſus tranſeunt.

Cic. de Orat. *Cùm etiam tum in lecto craſſus eſſet & apud eum Sulpitius ſederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in portîcu, repentè eò Q. Catulus ſenex cum M. Iulio fratre venit.* lib. 2.

Tranſititiva præter proprium caſum etiam præpoſitiones cum ſuis caſibus admittunt.

Cic. de Amic. *Nihil eſt amabiliùs virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippè cùm propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodā modo diligamus.*

Verba compoſita ſæpè caſum præpoſitionis habent.

Cic. de Fin. *Cur ipſe Pythagoras & Ægyptum luſtravit, & Magorum Perſas adiit?* Id. ad Q. Fr. *Cum ſubitò bonus Imperator noctu urbem hoſtium inviſiſſet, in ſenatum ſe non committebat.* lib. 5. lib. 3.

Et repetitâ repetitione.

Id. in Verr. *Cæteri hæredes adeunt ad Verrem.* Id. in Atti. *In Galliam invaſit Antonius in Aſiam Dolabella, in alienam uterque provinciam.* lib. 2. Phil. 11.

Hanc repetitionem amant multa verba compoſita ex præpoſitionibus A, ab, ad, con, de, è, ex, in.

Id. in Amic. *Tu, velim, à me animum parumper avertas, Lælium loqui ipſum putes.* Id. ad Q. Fr. *Abduco equidem me ab omni Reip. cura.* lib. 3.

CASUS PRÆPOSITIONUM.

Accuſativo ſerviunt: Ad,apud,ante,adverſus, vel adverſum, cis, citra, circiter,circa,circum,contra, erga, extra, intra, inter, infra, juxta,ob, penes,per, pone, poſt, prope,propter, præter, ſecundum,ſuprà,ſecùs,trans,ultra,verſus, uſque. Cic. ad Brut. *In Patulo prope Platonis ſtatuam conſedimus.* Id. Att. *Secundùm te nihil eſt mihi amicius ſolitudine.* Id. in Verr. *Erant accepta pecunia à Cn. Verrutio, ſic tamen, ut uſque alterum R. littera conſtarent integra, reliquæ omnes eſſent in litura.*

lib. 12.
lib. 4.

VERSUS.

Verſus ſuo caſui poſtponitur.

lib. 16. Cic. Att. *Verti me à Minturnis Arpinum verſus.*
lib. 4. Sulp. Cic. *Ex Aſia rediens, cùm ab Ægina Megarum verſus navigarem, cœpi regiones circum circa proſpicere.*

Ablativo gaudent: A,ab,abs, abſque, cum, coram,clam,de, e, ex, pro, præ, procul, palam.

lib. 15. Cic. Piſ. *Mihi vero ipſi coram genere meo, propinquo tuo, quæ dicere auſus es?* Id. Att. *Paulo clamiis eam vidi.*
ab urb. 6. Ter. Heaut. --- *præ iracundia Mene de me, non ſum apud me.* Liv. *Rem*
Bell. Ma. 7. *creditori palam populo ſolvit.* Idem. *Haud procul occaſu ſolis redeundi in caſtra tempus erat.*

TENUS

Tenus, quemadmodum verſus, poſtponitur, atque ferè patrium caſum deſiderat, ſi nomen ſit multitudinis.

Cic. in Orato. *Et Cepheus conditur ante lumborum*

rum tenus. Cælius Cic. *Rumores illi de Comitiis Cumarum tenus caluerunt.* lib. 8.

Sin ſingulare ſit nomen, ablativo gaudet.

Liv. *Adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua eſſet, alibi genua vix ſuperaret.* Bel. Pun. 6.

A, AB, ABS.

A, conſonantibus præponitur.

Cic. in Anti. *Antonius à fronte, à tergo, à lateribus tenetur.*

Ab, vocalibus.

Idem Att. *Cura & effice, ut ab omnibus laudemur & amemur.* lib. 5.

Et nonnullis conſonantibus.

Idem pro Cluent. *Ab nullo ille liberalius, quàm à Cluentio tractatus eſt.* Id. Att. *Rex ab Senatu appellatus eſt.* lib. 5.

Præcipuè, l, r, & j, ut: *Ab legatis, ab Romanis ab Jove.*

Abs T, & interdum Q.

Terent. And. *O Dave! itane contemnor abs te.*

Id. Adelph. *Abs quovis homine beneficium accipere gratum eſt.*

IN, SUB, SUPER.

In, ſub, ſuper, modò accuſativum, modò ablativum pro varia ſignificatione poſtulant.

In, cum verbis motus accuſativum amat.

Cic. in Cat. *Egredere ex urbe Catilina, in exilium proficiſcere.* I. vect. 3.

Item pro erga, contra, ad, pro, per, ut: *Brutus fuit pius in patriã, crudelis in liberos. Olera & piſcicu-*

Inuict. *ſciculos minutos fero obulo in cœnam. Commendavi tibi librum in horam, diem, menſem, annũ.* Cic. in Cat. *Creſcit in dies ſingulos hoſtium numerus.*

Cùm verò quies, aut aliquid fieri in loco ſignificatur, ablativo gaudet, ut: *Sum in templo, deambulo in foro.*

lib. 14. Id. in Att. *In hac ſolitudine careo omnium colloquio.*

Et cum ponitur pro inter.

Cic. de Amic. *Hoc primum ſentio, niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe.*

Sub.

Sub ferè accuſandi caſum poſtulat pro circiter, per, paulò, antè, denique cum tempus adſignificant, ut:

Bel.c. 1. Bel. Pũ. 1. *Sub veſperum, ſub noctem, ſub lucis ortum, ſub idem tempus hæc geſta ſunt.* Cæſar. *Pompejus ſub noctem naves ſolvit.* Liv. *Sub equeſtris finem certaminis coorta eſt peditum pugna.*

lib. 10. Item pro poſt.

Cic. Planc. *Sub eas literas ſtatim recitatæ ſunt tuæ.*

Et cum verbis motûs.

Ut: *Clodius ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conjecit. Nix ſub aſpectum & tectum cadit.*

Cum verbis quietis ablativum petit.

Ut: *Conſedimus ſub umbra platani. Sub nomine pacis bellum latet.*

Super.

Super accuſativo ſervit, cum præpoſitioni ſubter contraria eſt, maximè cùm motus ſignificant, ut:

Sedeo

Sedeo ſuper ſaxum: Tegula cecidit ſuper caput.

Item cum ſignificant inter, ut:

Super cœnam occiſus eſt.

Præter.

Super cætera ſcelera hoc etiam facinus commiſiſti.

Ultrà:

Erant ſuper mille Imperatores imperante Auguſto.

Ablativo adjungitur, cum pro De ponitur.

Cic. Att. *Hac ſuper re ſcribam ad te Rhegio.* lib. 16.

Et interdum cum verbo quetis, maximè apud Poetas.

Virg. Ecl. 1. *Hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte -- Fronde ſuper viridi.*

Subter.

Subter, fermè accuſandi caſum poſcit, ſive quietis, ſive motus verbis adjungatur.

Cic. Tuſc. *Plato iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locavit.*

PRÆPOSITIO VERSA IN Adverbium.

Præpoſitio cum caſu privatur, in adverbium migrat.

Cic. Att. *Tu adventare ac prope adeſſe jam debes.* lib. 4.

Id. pro Flacco: *Multis poſt annis pecunia recuperata eſt.* Id. de nat. Deor. *Et ſenſibus & animo ea quæ extra ſunt percepimus.* lib. 2.

PRÆPOSITIONES ALIIS PRÆpoſitionibus præpoſitæ.

Præpoſitiones nonnunquam aliis præpoſitionibus præponuntur.

Cic. Att. *Ibi eſſe volo uſque pridie Calendas Maii.* Id ibid.

 Idem

lib. 5. Idem ad eundem: *De Q. Fratre nuntii nobis triſtes, nec varii venerunt ex ante diem Nonas Junias uſque ad pridie Calend. Septemb.*

Uſque tamen fere alteram propoſitionem deſiderat.

lib. 7. Idem in Verr. *Maximis in laudibus uſque ad ſummam ſenectutem ſumma cum gloria vixit.*

lib. 1. Ter. in Eunuch. *Ex Æthiopia eſt uſque hac.* Cic. de nat. Deor. *Uſque à Thalete enumeraſti ſententias Philoſophorum.*

Niſi præponatur nominibus oppidorum.

lib. 6. Cic. in Verr. *Sacerdotes uſq; Ennam profecti ſunt.* Ter. in Adelph. *Miletum uſque obſecro.*

CONSTRUCTIO ADVERBII.

NOMINATIVUS POST *Adverbium.*

EN, Ecce, nominandi, ſeu accuſandi caſum admittunt.

lib. 6. lib. 2. Cic. pro Dejo. *En crimẽ, en cauſa.* Plaut. Amph. *En tectum, en tegulas, en obductas fores.* Cic. in Verr. *Ecce nova turba atq; rixa.* Id. de Fin. *Ecce miſerum hominem ſi dolor ſummum malum eſt.*

APPENDIX

Tertii generis.

Ad Att. lib. 2. Apponitur & Dativus Tibi, non ſine lepôre: *Cùm hec maximè ſcriberem ecce tibi.*

GENITIVUS POST *Adverbium.*

Satis

Satis, abundè, affatim, parum, inſtar, partim, ergo pro cauſa, genitivum caſum poſtulant. Ter. Phorm. *Satis jam verborum eſt.* Cic. de cla. *Plato mihi unus inſtar eſt omnium* Liv. *Victoria navalis ergo in unum diem ſupplicatio decreta eſt.* Bel. Mo. 7.

ADVERBIA SUPERLATIVA.

Item adverbia Superlativa à nominibus orta. Cic. de cla. *Maximè omnium nobilium Græcis literis ſtuduit.* Id. Ibid. *Sæpiſſimè audio illum omnium Oratorum latinè loqui elegantiſſimè.*

ADVERBIA LOCI.

Ubi, ubinam, ubicunque, ubivis, quovis, quoquo, nuſquam, genitivos Terrarum Gentium, eleganter admittunt.

Cic. Att. *Quid ageres, ubi terrarum eſſes, ne ſuſpicabar quidem.* Ter. Adelph. *Fratrem nuſquã invenio gentium.* lib. 2.

Dicitur & longe gentium.

Cic. Att. *Tu longè gentium abes.*

Huc ſpectant Adverbia, Eo, Huc.

Liv. *Eo conſuetudinis adducta res erat, ut quocunque noctis tempore ſibilo dediſſet ſignum, porta aperiretur.* Senec. *Scelerum perventũ eſt, ut paricida pater adſit.* Curt. *Huc enim malorum ventum, ut verba mea eodem tempore & Alexandro excuſem, & Antiphani.* Bel. Pũ. 5. l. 5. Con. l. 6. l. 1. l. 3.

PRIDIE ET POSTRIDIE.

Pridie & Poſtridie & genitivum & accuſativum caſum petunt.

Cic.

Bel. Gal. lib. 16. Cic. Att. *Pridie ejus venit.* Id. Appio : *Pridie Nonas junij cùm eſſet Brũduſii,&c.* Cæſa. *Poſtridie ejus diei præſidio utrinſque caſtri , quod ſatis eſſe viſum eſt, reliquit.* Cic. Att. *Poſtridie ludos Apollinares*

DATIVUS POST ADVERBIUM.

Quædam dandi caſum petunt more eorum, unde dedúcuntur, ut: *Congruenter, convenienterque naturæ vivere: dicere convenienter rationi: obviam alicui ire, procedere, prodire.* Non congruens, conveniens, obvius dativo gaudent.

lib. 1. Cic. de Finib. *Non quæro quid dicat, ſed quid*
Phil. 2. *convenienter rationi poſſit, & ſententiæ ſuæ dicere:* Id. *Cæſari ex Hiſpania redeunti obviam longiſſimè*
l. 7. c. 30 *proceſſiſti.* Plin. *Platoni ſapientiæ antiſtiti Dionyſius vittatam navem miſit obviam.*

ACCUSATIVUS POST ADVERBIUM.

Propiùs, proximè, accuſandi caſum exigunt.
Phil. 10. Cic. epiſt. ad Oct. *Cur caſtra longius adverſariorum caſtris, & propius urbem moventur?* Id. in M. Ant. *Brutus operam dat, cum ſuis copiis quàm proximè Italiam ſit.*

Abhinc.

Abhinc, verbis præteriti temporis junctum, Accuſativum ſeu Ablativum poſtulat.
Cic, in Verr. *Horum pater abhinc duos & viginti*

annos

annos eſt mortuus. Idem pro Quint. *Quo tempore? ab hinc annis quindecim.*

ABLATIVUS POST Adverbium.

Comparativa ablativo gaudent.
Cic. 2. de Invent. *Lachrymâ nil citius areſcit.* Id. ad Curio. *Nemo eſt, qui tibi ſapientius ſuadere poſſit, eo ipſo.* Ter. Hecyr. *Dies triginta aut plus in navi fui.* Id. Heaut... *Annos ſexaginta natus es, aut plùs eo, ut conjicio.* Plin. *Minùs quinquennio eſt, quo prodiere, quod vocant laurea, non ingrata amaritudinis.* lib. 1. l. 15. c. 15.

APPENDIX Tertii generis.

Plùs, ampliùs, minùs, modò ablativum habent, ut docent allata exempla.

Modò ſine caſu ponuntur, ſed ſubauditur conjunctio quàm.
Ter. *Homini miſero plùs quingentos colaphos impegit.* Adelph.
Cæſar. *In eo prælio non amplius ducendos milites deſideravit.* 3. de civ.

Videntur & nominandi caſus cum his adverbiis jungi, cum à verbis pendeant.
Cæſar. *Eo die milites ſunt minùs ſeptingenti deſiderati.* Idem. *Naves ampliùs octingenta uno erant viſæ tempore.* 7. Bell. Gall. l. 5. Gall.

AD-

ADVERBIA LOCI.

Adverbia, quibus interrogamus ſunt hæc: Ubi, unde, quo, quorſum.

Hic, iſtic, illic, &c.

Ad interrogationem Ubi redduntur hæc: Hic, iſtic, illic, ibi, inibi, ibidem, alibi, alicubi, ubique, utrobique, ubilibet, ubivis, ubicunque, paſſim vulgò, intus, foris, nuſquam, longè, peregrè.

Item ſuprà, ſubter, infrà, antè, poſt, extrà, cùm fiunt Adverbia.

lib. 6. Cic. ad Torquatum: *Nemo eſt, quin, ubivis, quàm ibi, ubi eſt, eſſe malit.*

Hinc, & iſtinc, &c.

Ad Unde, redduntur hæc: Hinc, iſtinc, illinc, inde, indidem, aliundè, undelibet, undevis, undique, undecunque, undequaque, aliunde, utrinque, eminus, cominus, ſuperne, infernè, peregrè, intus, foris.

Terent. Heaut. *Vide ne quo hinc abeas longiùs.*

Huc, iſtuc, &c.

Ad Quo, redduntur hæc: Huc, illuc, iſtuc, eò, eodem, illò, aliquò, aliò, neutrò, utroque, quoquo, quocunque, quovis, quolibet, intrà, foras, peregrè, longe, nuſquam.

Terent. Hec. *Abi Parmeno intrà, ac me veniſſe nuntia.*

Hac, iſtac, &c.

Ad Quà, redduntur hæc: Hac, iſtac, illac, aliquà, qualibet, quacunque.

Ter. Eunuch. *Plenus ſum rimarum, hac, illac, perfluo.*

Hor-

Horſum, iſtorſum, &c.

Ad quorſum, id eſt, quem locum verſus redduntur hæc: Horſum, iſtorſum, illorſum, aliorſum, deorſum, ſurſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, levorſum, prorſum, rurſum, introrſum, vel introrſus, retrorſum, vel retrorſus, quoquoverſum, vel quoquoverſus.

Ter. Phorm. *Horſum pergunt.* Idem Eunuch. *Sex ego te totos Parmeno hos menſes quietum reddam, ne ſurſum, deorſum, cursites.*

Ut pro poſtquam, Quomodo.

Ut pro poſtquam indicativum petit.

Cic. Att. *Ut ab urbe diſceſſi, nullum prætermiſi diem, quin aliquid ad te literarum darem.* lib. 7.

Idem pro Quomodo, cum quadam admiratione.

Idem ad eundem: *Cneus noſter, ô rem miſeram, & incredibilem, ut totus jacet?* lib. 7. Ter. Eunuch. *Ut eſt animi.*

U T

Poſt has voces: Addo, ita, ſic, tam, tantus, tot, ferè nunquam ponitur Quod, ſed Ut cum ſubjunctivo.

Cic. pro Rab. *Adeone hoſpes hujuſce urbis, adeone ignarus es diſciplinæ conſuetudiniſque noſtræ, ut hæc neſcias?* Id. 3. Tuſc. *Non ſum ita hebes, ut iſta dicam.*

Antequam tum indicativis, tum conjunctivis jungitur.

Terent. Andr. *Experiri omnia certum eſt, antequam*

quam pereo. Cic. pro Mur. *Antequam pro Murena dicere inſtuno, pro me ipſo pauca dicam.* Id. in M. Anton. *Antequam de rep. P.C. dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror: exponam vobis breviter conſilium & perfectionis & reverſionis meæ.*

Priuſquam.

Priuſquam iiſdem modis gaudet.

Phil. 1. Cic. in Ant. *Priuſquam de rep. dicere incipio, pauca quæram de heſterna M. Antonii injuria.* Id.

Bel. Cat. Milo. *Præclarè vixero, ſi quid mihi acciderit, priuſquam hoc tantum mali videro.* Saluſt. *Priuſquam incipias, conſulto: & ubi conſulueris, maturè facto opus eſt.*

Ne, vitandi.

Ne ſubjectivum petit, cum aliquid prohibemus.

Bel. pun. 10. Ter. Eunuch. *Ne poſt conferas culpam in me.* Liv. *Ne tot annorum felicitatem in unius hora dederis diſcrimen.*

Petit & imperativum, maximè apud Poëtas.

lib7. Plaut. *Perſa ibi, ne jura ſatis credo.* Virg. *Ne fugite hoſpitium, neve ignorate Latinos.*

Næ.

Næ, hoc eſt profectò, pronominibus præpoſitum, indicativum & conjunctivum petit. Ter. Adelph. *Næ ego homo ſum infelix.* Cic. in

Phil. 2. Anton. *Næ tu id feciſſes, melius famæ tuæ conſuluiſſes.* Id. Tuſc. *Næ ille vir ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit.*

Per

Per, Perquam, &c.

Per, perquam, ſane, valde, oppidò, imprimis, cumprimis, apprimè, admodum, vehementer, & alia id genus ferè poſitivis gaudent.

Cic. de Finib. *Hac quidem eſt perfacilis, & perexpedita defenſio.* Id. de Orat. *Quod mihi quidem perquam puerile videri ſolet.* Id. ad Terent. *Sin ad nos pertinerent, ſervirent, præterquam oppidò pauci.* Id. in Verr. *Philodamus erat imprimis inter ſuos copioſus.* Id. ad eundem *C. Muſtius homo cumprimis honeſtus.* l. 3. l. 2. l. 14. l. 3. Ibid.

Quàm, affectibus ſerviens.

Quàm cùm admirationi, commiſerationi, atque interrogatiōi cum admiratione permiſtæ ſervit, poſitivis jungitur, ut: *Quàm multi avaritiæ ſtudent. Heu quàm fallaces ſunt hominum ſpes, quàm inanes cogitationes!*

Cic. de Amic. *Quàm multa quæ noſtra cauſa nūquam faceremus, facimus cauſa aliorum.* Quint. *Quàm multa: imò, pene omnia tradit Varro.* l. 12. c. 2.

Quàm, pro quantum,

Quàm, pro Quantum, poſitivis præponitur. Cic. Trebatio: *Quam ſint moroſi qui amant, vel ex hoc intelligi poteſt. Quam gratum hoc munus fore patri tuo arbitraris? Neſcis quam ſint ſtulti, qui ſuis cupiditatibus ſerviunt.* l. 7.

EXCEPTIO.

Quàm, pro Quantum, cum verbo poſſum, junctum ſuperlativis adjungitur.

Cic. Cat. *Quàm potui maximis itineribus ad manum exercitum duxi.* lib. 10.

lib. 2. Idem de nat. Deor. *Aves nidos conſtruunt, eoſque quàm poſſunt molliſſimè ſubſternunt.*

Quàm ut.

Quàm ut, eleganter comparativa ſequitur. lib. 3. Cic. de Orat. *Hoc altius eſt, quam ut nos humi ſtrati ſuſcipere poſſimus.*

Quàm pro valdè

Quam pro valdè ſuperlativis elegantiſſimè adjungitur.
lib. 3. Cic. Valer. *Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuſpius quamprimum, quàm ſæpiſſimè gratias agat.*

Tam & quàm poſitiva frequentiſſimè, ſuperlativa rariùs, comperativa rariſſimè copulant. Cic. in Orat. *Nemo orator tam multa, ne in Græco quidem otio ſcripſit, quam multa ſunt noſtra.* Saluſt. *Quam quiſque peſſimè fecit, tam maximè tutus eſt.* Ter. Heaut. *Namque Adoleſcens quam minima in ſpe ſitus erit, tam facillime patris pacem in leges conficit ſuas.* Cic. pro Dejot. *Per dextram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: Iſtam inquam dexteram, non tam in bellis, quam in promiſſis & fide firmiorem.*

Ponitur interdum, Tam, ſeparatim cum ſuperlativo.
Phil. 2. Cic. in Ant. *Nondum erat veſtris tam graviſſimis tamque multis judiciis ignominiiſque conciſus.*

AD

ADVERBIA IN UM.

Adverbia in um poſitivis gaudent; ut parum, multum, nimium, tantum, quantum, aliquantum. Cic. Att. *Parum firma ſunt, quæ de* lib. 10.
fratre meo ſcribis. Idem in Rul. *Socer hujus vir* lib. 2.
multum bonus eſt. Id. de Fin. *In rebus apertiſſimis nimium longi ſumus.*

ADVERBIA O FINITA.

Paulò, nimiò, aliquantò, tanto, eò, quò, multo, Hoc pro tantò, comparativo adhærent. lib 5.
Cic. de offic. *Quantò ſuperiores ſumus, tanto nos* lib. 16.
ſubmiſſius geramus. Cic. de Amic. *Nec verò cor-* lib. 5.
pori ſolùm ſubveniendum eſt, ſed etiam menti, atque animo multò magis. Planc. Cic. *Certè hoc majus habes teſtimonium amoris mei, quo maturius tibi, quam cæteris conſilia mea volui eſſe nota.* Lucejus Cic. *Ego valeo ſicut ſoleo, paulò etiam deterius quam ſoleo.*

APPENDIX

Primi generis.

Multò etiam ſuperlativis additur.
Cic. in Verr. *cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenii atque eloquentiæ multo moleſtiſſima.*

Item longè pro valdè,
Cic. in Brut. *Longè poſt natos homines improbiſſimus C. Servilius ſed peracutus, &c.*

Facilè, cum *ſine dubio, ſine controverſia* ſignificat; ſuperlativis gaudet, aut iis, qui eorum vim habent.

Cic. pro Rabir. Poſth. *Virum unum totius Græciæ facile doctiſſimum Platonem maximis periculis inſidiiſque verſatum eſſe accepimus.* Id. pro Sext. *Non ſolum ſui municipii, verùm etiam ejus*
l. 10. c. 11 *vicinitatis facilè primus.* Id. pro Cl. *Regionis illius & vicinitatis, virtute, exiſtimatione, nobilitate facile princeps.* Quint. *In affectibus vero tum omnibus mirus, tum in iis qui miſeratione conſtant facilè præcipuus.*

INTERIECTIONIS Conſtructio.

O.

O Tribus caſibus adjungitur, Nominandi.
lib. 15. Ter. Phor. *O vir fortis atque amicus.*

Accuſandi.

Cic. Verr. *O me perditum, ô me afflictum.*

Vocandi.

Ter. And. *O Dave, itane contemnor abs te?*

Heu, prô.

Heu & prô, modo nominandi, vel potius vocandi caſum poſtulant.

lib. 1C. Virg. *Heu pietas, heu priſca fides.* Liv. *Tantam*
Bel. Pun. *(prô dolor) degeneravimus à parentibus noſtris.*
Phil. 1. Modo accuſandi. Cic. in M. Ant. *Heu me mi-*
lib. 5. *ſerum! cur Senatum cogor, quem ſemper laudavi, reprehendere?* Id. Ver. *Prô Deum hominumque fidem.*

Hei

Hei, Væ.

Hei, væ Dativo gaudent.

Terent. Heaut. *Heu miſero mihi*, Idem And. *Væ miſero mihi.*

APPENDIX
Primi generis.

Hei interdum vocativo additur.

Plaut. *Hei Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis.* *Autour.*

CONJUNCTIONIS
Conſtructio.

Conſtructiones copulativæ & disjunctivæ, cùm ad idem verbum referuntur, ſimiles caſus connectunt.

Cic. in Ant. *Quis non doleat interitum talis viri & civis.* *Phil. 10.* Saluſt. *Divitiarum & formæ gloria fluxa, atque fragilis eſt.* *Bel. Cat.* Cic. de Senect. *Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, olivetorumque ſpecie dicam?*

Quàm. Niſi, An, Præterquam.

Quam, niſi, An, Præterquam, eoſdem itidem caſus copulant.

Cic. Att. *An tu exiſtimas ab ullo malle me legi probarique quàm à te?* *lib. 3.* Id. pro Seſt. *Quem unquã Senatus civem, niſi me, nationibus exteris commẽdavit.* *lib. 3.* Id. de Orat. *Refert autem qui audiant. Senatus, an populus, an judices.* *lib. 3* Id. in Cat. *Pro tantis rebus nullum à vobis præmium poſtulo, præterquam hujus diei memoriam ſempiternam.*

EXCEPTIO.

Aliquando huic conſtructioni certa dictionum proprietas obſtat, ut: *Fuit Romæ, Athenis, aut Brundusii, aut Sulmone mortuus eſt. Emiſtine librum centeſſe, aut minoris: Malim Panormi, quàm Syracuſis eſſe.*

Etſi, Tametſi, Quanquam.

Etſi, tametſi, quanquam, in principio ſtatim ſententiæ indicativum poſtulant.

lib. 2. Cic. pro Mil. *Etſi vereor judices, &c.* Id. Lent.
lib. 10. *Tametſi nihil mihi fuit optatius.* Id. Planc. *Quanquam gratiarum actionem à te non deſiderabam.*
Alibi etiam ſubjunctivum admittunt.
lib. 1. c. 3. Quint. *Cadi verò diſcentes, quanquam receptum ſit, & Chryſippus non improbat, minimè velim.*

Etiamſi, Quamvis, Licet, Ut, pro Quamvis.

Etiamſi, Quamvis, Licet, Ut, pro Quamvis, ſubjunctivo gaudent.

Phil. 2. Cic. de Amic. *Omnia brevia tolerabilia eſſe debent. Etiamſi maxima ſint.* Id. in Ant. *Homines quamvis in rebus turbidis ſint, tamen ſi homines ſunt, interdum animis relaxantur.* Id. poſt redit. in Sen. *Tantus veſter conſenſus de ſalute mea fuit, ut licet corpus abeſſet meum, dignitas in patriam revertiſſet* Id. pro Quint. *Ut ſumma haberem cætera, temporis quidem certè vix ſatis habui.*

Ne

Ne cauſalis.

Ne cauſalis conjunctivum amat.

Ter. And. *Hei vereor ne quid Andria appor-tet mali.* lib. 1.
Id. Eunuch..... *nunc metuo fratrem, ne intus ſit.* lib. 14.
Id. And..... *tum autem hic timet, ne ſe deſeras.*

Ut pro ne.

Ut poſt verba Vereor, timeo, metuo, elegan-ter ponitur pro ne. lib. 1.
Ter. Phor. *At vereor, ut placari poſſit.* Cic. de Or. *Sed illa duo Craſſe, vereor, ut tibi poſſim concedere.* Id. in Ter. *Omnes labores te excipere video, timeo, ut ſuſtineas.* Ter. And. *Perii, metuo, ut ſubſtet hoſtes.* lib. 14.

Ne non, pro Ne.

Poſt eadem verba, Ne non, etiam pro Ne ponitur.
Cic. Att. *Si manet, vereor ne exercitum firmum habere non poſſit.* ad eundem: *Timeo ne non impetrem.* Id. pro Milone: *Cur igitur hos manu miſit? metuebat ſcilicet ne indicaretur: ne dolorem perferre non poſſet.* lib. 7. lib. 9.

APPENDIX
Primi generis.

Si tertiam addideris negationem, te omni metu liberum ſignificabis.
Idem in Verr. *Non vereor ne officium meum Servilio non probem.* hoc eſt. Non dubito quin hoc officium meum Pub. Serv. ſim. probaturus. lib. 2.

Ut ne, perveniſſe ponitur pro Ne.
l. 1. Cic. in Verr. *Imperant, ut ne jurent.* Id. ad Q. Fr.
l. 3. *Opera datur, ut judicia ne fiant.* Id. in Brut. *Vt*
l. 3. *ne quid memorem tibi eſſet ignotum, animadverti*
te operam dare.

Ni, Niſi, Si.

Ni, Niſi, Si, tum indicativum, tum conjunctivum amant.
Ter. And. *Mirum ni domi eſt*: Id. Phorm. *Ni noſſem cauſam, crederem vera hunc loqui.* Cic. in Verr. *Niſi reſtituiſſent ſtatuas, vehementer his minatur.*

Niſi.

Idem in Amic. *Ortum quidem amicitiæ videtis, niſi quid adhuc fortè vultis.* Ibid. *Niſi immortalitatem optare vellet, quid non eſt adeptus, quod homini fas eſſet optare?*

Si.

lib 5. Ter. And. *Si illum relinquo, ejus vitæ timeo: ſin*
opitulor, hujus minas. Ibid. *Si id facis, hodie po-*
lib. 2. *ſtremum me vides.* Cic. Att. *Si hortos inſpexeris,*
dederis mihi, quod adſcribam: ſin minus ſcribam
tamen aliquid. Id. ad eundem: *expeditus facito*
ut ſis, ſi inclamato, ut accurras.

Quòd, cauſalis.

Quòd cùm cauſam ac rationem reddit, eam Indicativo, quam conjunctivo gaudet.
lib. 2. Cic. ad At. *Feciſti mihi pergratum, quod Serapio-*
lib. 3. *nis librum ad me miſiſti.* Id. ad eund. *Vtinam illũ*
diem

diem videam, cum tibi gratias agam, quod me vivere coegiſti. Ad eundem. *Admiratus ſum, quod me tua manu ſcripſiſſes.* Id. de Div. *Vetus autem: illud Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe ajebat, quod non rediret aruſpex, aruſpicem cùm videret.* l. 9.

APPENDIX
Primi generis.

Verbum videor conjunctionem Quod refugit. Ne ergò dixeris : *Videtur mihi quod ſum doctus* : ſed *videor mihi eſſe doctus, videris mihi eſſe doctus ; ille ſibi videtur eſſe doctus.*

Et numero multitudinis eodem modo.

Videmur nobis eſſe docti, videmini vobis eſſe docti, illi videntur ſibi eſſe docti.

Cic. Att. *Amens mihi eſſe videor.* Id. ad eund. *Relegatus mihi videor, poſteaquam in Formiano ſum.* Id. in M. Ant. *Neſcio quid turbatus mihi eſſe videris* Ter. And. *Subtriſtis viſus eſt eſſe aliquantulum mihi.* Cic. Att. *Sol excidiſſe mihi è mundo videtur.* Liv. *Ne tibi P. Corneli cùm ex alto Africam conſpexeris, ludus & jocus fuiſſe Hiſpania tua videbuntur.* *lib. 9. lib. 2. lib. 2. Phil. 2. In ep. ad Att. 8. Bel. pun.*

Quia.

Quia pro Quod, utrumque modum admittit. Cic. de Amic. *Recordatione amicitiæ ſic fruor, ut beatè vixiſſe videar, qui cum Scipione vixerint.* Id. de Finib. *Neque quiſquam eſt, qui dolorem ipſum, quia dolor ſit, amet.* Id. in Verr. *Quarta* *lib. 1.*

Autem eſt urbs: quæ quia poſtrema ædificata eſt, Neapolis nominatur.

Aliæ præterea ſunt particulæ, quarum uſum, ùſus ipſe optimus magiſter, te ſine tædio progrediente tempore docebit.

DE FIGURATA CONSTRVCTIONE.

ORatio tres virtutes habere debet, ut: Emendata, & dilucida, ut Ornata ſit: quibus virtutibus totidem vitia contraria ſunt. Nam Emendatæ barbara, Dilucidæ obſcura, Ornatæ inornata adverſatur.

BARBARÆ ORATIONIS Vitia,

Duo ſunt vitia, quibus oratio barbara, atque ruſtica efficitur, Solœciſmus & barbariſmus: quæ qui purè, ac emendatè loqui volet, omni contentione, velis, ut ita dicam, remiſque fugiet.

QVID SIT SOLOECISMVS Et quot modis fiat.

SOlœciſmus conſtructionis, atque emendatæ orationis, de qua hactenus egimus, hoſtis

hoſtis infeſtiſſimus, eſt vitioſa partium orationis compoſitio.

Is fit quatuor modis, Adjectione, cùm aliquid orationi contra præcepta Grammaticæ adjicitur, ut:

Scribo cum calamo, ludo cum pila.

Detractione, cum aliquid eodem modo detrahitur, ut:

Eo forum, Redeo agro, Ne hoc fecit, pro *Ne hoc quidem fecit.*

Tranſmutatione, cùm partium orationis ordo turbatur, ut:

Quoque ego, Enim hoc voluit, Autem non habuit.

Immutatione, cùm pars una orationis pro alia ponitur, ut:

Stulti grave ferunt res adverſas.

Grave pro graviter, nomen pro adverbio.

Fiunt Solœciſmi etiam per cæteras orationis partes. Item per ea, quæ cognata ſunt, id eſt ejuſdem generis, ac partis, ut:

Eo intus. Sum intro. Quid hic agis? Quando huc veniſti? Scripſitne Cicero hanc orationem, aut Hortenſius? Aut pro An. *Non feceris cuiquam injuriam.* Non pro Ne: *Eo apud forum.*

Denique fiunt & per ea, quæ partibus orationis accidunt.

Per genera ut:

Sapientes læta fronte res adverſas ferunt.

Per caſus, ut:

Quo is Roma, Venio Brunduſii.

Per

Per numeros.

Si unum ad te vocant, dicas, Venite.

Per perſonas: ſi quempiam honoris cauſa ita alloquaris:

Sedeat, accedat, pro *Sede, accede.*

Per modos, ut:

Peto à te, ut mihi opem feras.

Per genera verborum, ut:

Mox redeam, pro *redibo*, ponitur enim activum pro neutro.

APPENDIX

lib. 3. c. 5. FUerunt, ut ait Quint. Qui adjectionis vitium Pleonaſmum Detractionis Eclipſin, Tranſmutationis Anaſtrophem appellarint, negantes, hæc vitia ſpecies eſſe Solœciſmi.

QUID SIT FIGURATA Conſtructio.

CUm apud viros doctos, qui purè loquendi laude floruerunt, aliquid legerimus, quod Grammaticorum legibus repugnare videatur, non continuò exiſtimabimus eos Solœciſmum feciſſe: cum ipſorum authoritate, teſtimoniiſque ſoleant Grammatici ipſi ſua præcepta confirmare. Nam ſunt quædam, quæ faciem quidem Solœciſmi habent, vitioſa tamen non ſunt. Hoc novum loquendi genus, Figura verborum, aut ſermonis, aut orationis, ſive

ſive ut Græci loquuntur σχῆμα λέξεως ſchema lexeos appellatur. Eſt enim Figura, nova loquendi ratio, à trito & vulgari ſermone remota, quæ ferè ratione aliqua nititur.

ENALLAGE.

ENallage figura eſt, cùm pars una rationis pro alia ponitur.

Cic. Att. *Quam turpis eſt aſſentatio, cùm vivere ipſum turpe ſit nobis.* Id. ad eundem. *Philotimus non modo nullus venit, ſed ne per literas quidem, aut per nuntium certiorem facit me.* Ter. And. *Ita facto opus eſt.* l. 15. l. 2.

Sunt & alia nomina, quæ pro adverbiis ponuntur, ut recens, ſublime, frequens.

Suet. *Inde Romam recens conditam cum magna clientum caterva commigravit.* Cic. *Eaque ſcuta quæ fuerant ſublime fixa, ſunt humi inventa.* Id. *Venio in ſenatum frequens.* in Tib. c. 1 de Div. de Ami.

Sic torvum horrendum, & alia id genus apud Poëtas.

Nomen interim loco interjectionis indignantis ponitur.

Cic. *Quæ malum fuit iſta amentia?*

Contra adverbium, aliquando partes nominis agit.

Plaut. *Benè ſit tibi.* Cic. *Male ſit Antonio, ſi quidam Butrotiis moleſtus eſt.* Mar. ad Att. l. I.

Verbum, loco interjectionis blandientis.

Cic.

Cicer. *Amabo te incumbe in eam rem, & ad me ſcribe.*

Fit etiam Ennallage per attributa partium orationis.

Per caſus.

Cic. pro Sex. Roſc. *Duo ſunt Titi Roſcii, quorum alteri Capitani eſt cognomen.*

Per numeros:

l. 10. c. 37 Plin. *In Africa magna pars ferarum æſtate non bibunt inopia imbrium.*

Per modos:

Terent. And. *Si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.* Cic. ad At. *Reſpiraro, ſi videro,*

Per tempora:

lib. 7. Id. in Verr. *Unum oſtende in tabulis aut tuis, aut patris tui emptum eſſe, viciſti.*

Genus genere permutatur.

l. 11. c. 35. Plin. *Nube gravida candidame, quod vocant tẽpeſtatem albam, grando imminebit*: pro quam.

Reperitur in perſonis hæc permutatio, ſed rariùs.

Phor. Ter. *Si quis me quæret rurſus, Da: præſto eſt, deſine.* Pro præſto ſum.

Permutantur denique verborum genera.

Æn. 11. Virgil. *Pictis bellantur Amazones armis,* bellantur pro bellant.

ECCLYPSIS.

Ecclypſis figura eſt cùm id, quod in oratione deeſt, foris omnino petendum eſt.

Cic.

Cic. ad Att. Ego, *ſi Tyro ad me, cogito in Tuſculanum.* lib. 13.

Cic. in Verr. *Ridere convivá, calumniari ipſe Apronius.* lib. 3.

Idem Att. *Quid mihi authores? Advolone, an maneo.* lib. 7.

Id. pro Planco: *Pro uno filio duos patres deprecamur.*

APPENDIX

Primi generis.

Hæc figura latiſſimè patet, & ferè per omnes orationis partes manat. Nam deſideratur interdum nomen.

Cic. *Statuaque ad Opis per te poſita in excelſo eſt.* Ad Att. lib. 5.

Ubi accuſativus, ædem, vel templum, deeſt.

Idem accuſativus viam aut iter.

Idem: *Nos in caſtra properabamus, quæ aberant bidui.* ad Att. lib. 6.

Navem. Cic. Tit. *Nos eo die cœnati ſolvimus.* lib. 16.

His accuſativus interdum etiam adhibetur.

Cæſar: *Pompejus ſub noctem naves ſolvit.* Bel. Civ.

In illis, decies ſeſtertium, centies ſeſtertium, & id genus cæteris, ad implendam orationem deſideratur (centena millia ſeſtertium, centies centena millia

lib. 15. millia ſeſtertium dicebant, poſtea uſus obtinuit, ut compendioſè, decies ſeſtertium: centies ſeſtertium dicerent. Nonnulli Scriptores, maximè Poëtæ, compendioſius loquentes, decies, vicies; centies tantùm dicunt: Mart.

l. 5. *Ducenties accipit, & tamen vivit.*

Deſideratur non rarò relativum, Qui, quæ, quod, ut:

Æn. 1. Virg. *Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuêre coloni.*

Deeſt accuſativus, quam.

Deſideratur & infinitum, eſſe.

Andria Terr. *Nonne id prius communicatum oportuit?*

Heaut. Idem. *Interemptum oportuit.*

In his item. *Factum volo, nollem datum, egone te viſum, aut auditum velim?* & cætera ejuſdem generis, quæ crebrò apud Terentium aliiſquè Auctores reperiuntur, videtur itèm infinitum deſiderari;

Participium, ſcriptus eleganter tacetur.

ad Q. Fr. *l.* 5. Cic. *Hoc inter cœnam Tyroni dictavi, ne mirere alia manu eſſe.*

l. 4. Idem. *Tua manu erant epoſtolæ.*

Deſideratur conjunctio, Etiam, non rarò,

Verr. 2. Cic. *Vide non modo cæteros, ſed teipſum totidem verbis edixiſſe.*

Idem.

Idem: *Manlium non ſolùm ignobilem, verum ſine virtute, ſine ingenio.*

Zeugma figura eſt, cum id, quod in oratione deſideratur, è proximo aſſumitur, manente eodem genere, numero, caſu, cæteriſque attributis.

Cic. in ult. Parad. *Nulla poſſeſſio, nulla vis auri pluris, quam virtus æſtimanda eſt.* Idem pro C. Rabirio. *Virtus & honeſtas, & pudor, cum conſulibus eſſe ſolebat.*

APPENDIX TERTII GENERIS.

Si id quod aſſumitur ad Orationem implendam primum eſt, Protozeugma dicitur. Cic. *Egit pater, & Filius, ut tibi reſponderet.*

Si medium Mozozeugma. Author ad Her. *Forma dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate* Ad Att. lib. 16.

Si poſtremum Hypozeugma, Cic. *Mihi & res, & conditio placet.* lib. 4. lib. 11. Ad Att.

SYLLEPSIS.

Syllepſis cùm id, quod in oratione deeſt, è proximò aſſumiur, mutato tamen genere, aut numero, aut caſu, aut aliquo è cæteris accidentibus.

Cic. in Verr. *Riſus populi atq; admiratio omnium facta eſt.* Liv. *Nulla expeditio, nullum equeſtre prælium ſine me factum eſt*: Cic. ad Q. Fr. *Ille timore, ego viſu correi.* Liv. *Nemo miles Romanus magis aſſiduus in caſtris veſtris fuit, quã ego fratreſque mei.* Idem. *Pater ego, fratreſque mei, non in Aſia tantùm, ſed etiam procul ab domo Ætolico bello terra, marique pro vobis arma tulimus.* lib. 6. Bel. Ma. lib. 2. Bel. Ma. ibid.

 AP-

APPENDICES
Tertii generis.

Non ſolùm fit ſyllepſis per ea, quæ partibus orationis accidunt, ſed etiam per ipſas orationis partes obſcurius, tamen cùm eadem pars orationis, ut integra ſit oratio, interim repetitur, eadem quidem voce, ſed diverſa ſignificatione.

lib. 1. Jura. *Provoluta deinde genibus Alexandri non mortem, ſed ut Darii corpus ſepelirent, dilationem mortis deprecantur.* Verbum, *Deprecantur*, priore membro ſignificat recuſare *non mortem deprecantur*, hoc eſt, *non recuſant*, poſteriore verò obſecrare.

PRolepſis eſt, cùm dictio aliqua totum ſignificans præceſſit, quæ rurſus in partibus intelligitur, neque explicatur, ut: *Duo Reges, Romam auxerunt Romulus bello, Numa pace.*

Ab urbe Ec. Cat. Liv. *Ita duo deinceps Reges alius alia via, ille bello, hic in pace civitatē auxerunt.* Saluſt. *Exercitus hoſtium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obſtant.*

ARCHAISMOS.

ARchaiſmos conſtructio eſt, qua priſca vetuſtas potiſſimum uſa fuit.

Ter. Eunuch. *Neſcio quid profectò abſente nobis turbatū eſt domi.* Id. ibid. *Ejicienda eſt hercle hæc animi mollities, nimis me indulgeo.* Plaut. Mili. *Iurate nō nociturum eſſe hominē hac de re neminem*

lib. 5. Cic. in Ver. *hanc ſibi rē præſidio ſperant futuram.*

HELLENISMUS.

HEllenïſmus eſt conſtructio, quæ Græci ſermonis leges, non Latini obſervat.

Id. ibid. Luceius. ad Cic. *Si ſolitudine delectaris, cū ſcribas & agas aliquid eorū, quorū conſuevisti gaudeo* Virg. *Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas*

Id. *Triſte lupus ſtabilis maturis frugibus imbres* Eclog. 2.
Dulce ſatis humo: depulſus habitus hœdis. Ibid.
Idem: *Os humeroſque Deo ſimilis.* Æneid.
Id. *Hac ſatus, latos humeros, ſubjectaque colla,* Ibid.
Veſte ſuper fulvique inſternor pelle leonis.

DE BARBARISMO.

BArbariſmus eſt dictio aut omninò barbara, aut Latina quidem, ſed vitioſa; ſcripto, vel pronunciatione.

Barbara omninò & peregrina, ut: *Perla* pro unione, *Aviſo*, pro admoneo: & alia generis ejuſdem.

Latina dictio vitioſa fit plurimis modis.

Per genera, ut: *Gladia*, pro gladii.

Per numeros, ut; *Scopa*, pro ſcopæ. *Tritica*, pro triticum.

Per declinationem, ut: *Fames famei*, pro famis. *Vaſibus* pro vaſis.

Per conjugationem, ut: *Statui*, pro ſteti. *Legabo*, pro legã. *Veneravi*, pro veneratus ſum.

Diviſione, cùm dividimus conjuncta, ut: *ſilua, diſſoluo*, quatuor ſyllabarum, pro ſylvæ, diſſolvo trium.

Complexione, cùm diviſa conjungimus, ut: *Phaton*, pro Phaeton.

Adjectione literæ, ut; *Relliquia*, gemino ll. pro ſimplici. *Alituum*, pro alitum. Syllabæ, ut: *dicier*, pro dici, *Mavors*, pro Mars. Aſpirationis, ut: *Hinſidia* cùm ſcribendum ſit ſine aſpiratione, temporis, cùm ſyllabæ brevi, quæ unum
ne, temporis, cùm ſyllabæ brevi, quæ unum

 habet

habet tempus, additur alterum, ut fiat longa, ut Italia, prima longa pro brevi.

Detractione literæ, ut: *Peculi* pro peculii, Syllabæ, ut: *Temnere* pro *contemnere*. Aſpirationis, ut: *Odie*, pro *hodie*. Temporis, cum ſyllabæ longæ, quæ duo habent tempora, unum detrahitur, ut fiat brevis, ut: *unius affligit*, media brevi pro longa.

Immutatione, cum litera una aut ſyllaba pro alia ponitur, ut: *Olli* pro *illi*.

Tranſmutatione, cùm litera aut ſyllba è ſuo loco in alterum transfertur, ut: *Interpretor*, pro *interpretor*.

Fiunt denique barbariſmi tenore, cum accentu alio pro alio utimur, ut ſi præpoſitiones à ſuis caſibus ſeparemus, eaſque tenore acuto vel inflexo pronunciamus, ut: *ad eum, ab illo, à quibus, circum littora*: cum gravi accentu, diſſimulata diſtinctione, ſimul cum ſuis caſibus pronunciandæ ſint, tanquam ſi una eſſet vox.

ADMONITIO.

Puer cùm leget apud Virgilium:

Nec ſpe libertatis erat, nec cura peculi.

Eclog. II. Ant. *Troas relliquias Danaum, atque immitis Achillei.*
Æneid. I. Ant. *Alituum, pecuumque genus ſopor altus habebat.*
Ibid. Ant. *Italiam fato profugus, Lavinaque venit littora.*
Ibid. Ant. *Unius ob noxam, & furias Aiacis Oilei.*

Cùm hæc inquam & ſimilia leget, ne putet principem Poëtarum Barbariſmum feciſſe: multa enim Poëtis permittuntur, quæ cæteris Scriptoribus denegantur. Neque miretur ſi apud

apud M. Tullium Oratorum principem, Liberum, Seſtertium, cognôram, nôrunt, aliaſque id genus verborum immutationes offenderit, neque enim Barbariſmi ſunt. Detrectatione ſiquidem à conſuetudine certiſſima loquendi regula impetratum eſt, ut etiam in orationibus ſic loqui liceret.

OBSCURÆ ORATIONIS VITIA.

VErba inuſitata, & à conſuetudine quotidiani ſermonis remota, obſcuritatem & tenebras Orationi afferunt, ut: Si quis *Oppidò* pro *valde* dicat: *Averruncari* pro *avertere*.

Eandem obſcurat vitium, quod à Græcis acyron, à Latinis improprium dicitur, ut *ſperare*, pro *timere*.

Virg. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem*. *Æneid.*

Item ambiguitas, quæ amphibologia Græcè appellatur, idque vel in uno verbo, ut *Taurus* animal ſit, an mons, an ſignum in cœlo, an nomen hominis, an radix arboris, niſi diſtinctum, non intelligeretur. Vel in ſermone, ut: *audivi Chremetem percuſſiſſe Demeam*.

Obſcuratur præterea oratio, cùm ſermoni deeſt aliquid, quod minus plenus ſit, Meoſin, hoc eſt diminutionem: vel contra, cùm inani verborum turba atque copioſa loquacitate obruitur Oratio, Periſſologiam vocant.

Impeditur denique ſermo, quod minus dilucidus ſit, ſi longa parentheſis interjiciatur, aut ſi verba confuſa, permiſtaque longius trajiciantur.

Hor. *Namq́; pila lippis inimicū & ludere crudis.*

Rectus enim ordo eſt: *Namq́; pila ludere inimicū eſt lippis & crudis*. Quod vitium Sinchyſis vel Hyperbaton obſcurum, hoc eſt, confuſa & perturbata verborum tranſgreſſio vocatur. Si hæc vitia vitabimus dilucida erit Oratio.

A P P E N D I X.

CUM orationis ſtructura decoris gratia variatur, neglecto ſimplici ſermonis ordine, non vitium eſt, ſed virtus: quæ Hyperbaton appellatur, id eſt tranſgreſſio verborum. Cic. pro Cin. *Animadverti judices omnem accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes*: in duas partes diviſam eſſe, ſimplex erat ordo, ſed durus & incomptus.

HYPERBATI ALIQUOT SPECIES.

Hyperbati ſive tranſgreſſionis aliquot ſunt ſpecies. Anaſtrophe eſt duorum verborum ordo præpoſterus, ut: *Mecū, tecum, ſecum, nobiſcū. Quibus de rebus* Anaſtrophe illa: *Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt: Eunuchum quē dediſti nobis, quas turbas dedit*, pro quam urbem ſtatuo. Quem Eunuchum dediſti nobis, admodum dura eſt. Tmeſis eſt, cum verbum compoſitum dividitur aliqua dictione interpoſita.

lib. 5. Cic. ad Att. *Per mihi gratū erit ſi id curaris ad me perferendum.* Id. de Seneſt. *Omnia memoria tenebat, non domeſtica ſolùm, ſed etiam externa bella.*

Ejuſdem generis ſunt illa: *Rem verò publicam penitus amiſimus. Præclarum eſt pro patria, reque publica mortem oppetere.*

Paren-

Parenteſis eſt brevis ſenſus ſermoni, antequam abſolvatur, interjectus.

Cic. in M. Ant. *O praclarum cuſtodem ovium, ut ajunt, lupum.* Livius. *Tantum prô dolor, degeneravimus à parentibus noſtris.* Phil. 3. Bel. maced. 1.

INORNATÆ ORATIONIS VITIA.

Cacophaton eſt obſcœnum dictum, ſive id uno verbo, ſive pluribus, ſive deformi literarum concurſu fiat.

Tapinoſis eſt, qua rei magnitudo vel dignitas minuitur, ut *ſi parricidam hominem nequam voces.*

Tautologia eſt ejuſdem verbi, aut ſermonis iteràtio. Verbi, ut: *Nam cum rationis ratio non extat, ei rationi non eſt fidem habere.*

Sermonis, ut: *Ibant, qua poterant, & qua non poterant, non ibant.*

Vitanda eſt nimia ejuſdem literæ aſſiduitas, ut: *Quidquam, quiſquam, cuiquam, quid convenit, neget?*

Macrologia eſt longior, quàm oportet ſermo. Livius. *Legati impetrata pace retro domum undè venerant, abierunt.* ab urb. 1.

Pleonaſmus eſt vitium, cùm ſupervacuis verbis ornetur Oratio, ut: *Ego meis oculis vidi.* Satis enim eſt *vidi.*

Cavendum etiam diligenter eſt, ne conſonantes aſperæ concurrant, ut S. ultima cum X. proxima, ut: *Exercitus Xerxis.* Durior etiam fit concurſus, ſi utraque ſe ipſam ſequatur, ut: *Ars ſtudioſorum. Rex Xerxis.*

Vitandi & crebri vocalium concurſus, quæ

vaſtam

vaſtam & hiantem Orationem reddunt, ut: *Baccæ Æneæ amœniſſima impendebant. Viro optimo obtemperaſti olim.*

Illud quoque vitium eſt, ſi multæ voces ejuſdem exitus in unum locum congerantur, ut: *Flentes, plorantes, lachrymantes, obteſtantes.*

Et ſi verbi prioris ultimæ ſyllabæ ſint primæ ſequentis, ut: *O fortunatam, natam me conſule Romam.*

APPENDICES.

SI aliquando pater apud graves Oratores aliquid offenderit, quod ſupervacaneum atque otioſum videatur, ne id ſine cauſa factum eſſe putet. Adduntur enim quædam interdum affirmationis gratia.

Ter. Adelph. *Hiſce oculis egomet vidi.* Virg. *Vocemque his auribus hauſi.*

Adduntur & alia quæ aut conſuetudine, aut authoritate, aut vetuſtate, aut neceſſitate denique excuſantur.

lib. 5. Cic. ad Att. *Ubi terranum eſſes, ne ſuſpicabar*
lib. 9. *quidem.* Idem ad eundem. *Longè gentium abes.*
lib. 3. Ad eundem: *à Brundiſio nulla adhuc fama venerat.*
Ibid. Idem de ſenectute. *Adoleſcentulus miles*
Ibid. *profectus ſum ad Capuam.* Idem in Verrem: *Ca-*
Ibi. 5. *teri hæredes adeunt in Verrem.* Ad Q. Fr. *Diem ſcio eſſe nullum, quo die non dicam pro reo.* Idem in Verrem: *Imperant ut ne jurent.* Idem Marcel. *Frater tuus Quanti me faciat, ſemperque fecerit, eſſe hominem, qui ignoret, arbitror neminem.*

FINIS.